ACADEMIÆ OXONIENSIS
GRATULATIO
Pro Exoptato Serenißimi
Regis GUILIELMI
EX
Hibernia Reditu.



OXONIÆ,
E THEATRO SHELDONIANO *Anno Dom.* 1690.



Ad Regem.

POst domitos Celtas, multumque frementis Iernæ
Nequicquam excuſſo ſubdita regna jugo,
Si finis has hederas victricibus addere lauris,
Et vacat ingenuæ, Cæſar, adeſſe Togæ;
Pone ſupercilium auguſtum, vultumque minacem,
Territa quo refugas Boynia vertit aquas:
Quali occurſantem conſpexeris ore Mariam,
Fronte, precor, tali Carmina noſtra legas;
Carmina, non vanas fuſo pro ſanguine grates;
Ille Ducum multo ſanguine vænit honos.
Quem Thetis haud potuit, Carmen ſervavit Achillem;
Ac vetuit melior Matre Camæna mori:
Ardentem aſpicimus jam nunc Simoentis ad undas,
Hectoreos jam nunc terret anhelus equos.
En! alter canitur Simois, atque alter Achilles!
Unus, qui laudes æquet, Homerus abeſt.
Qui largo undantem deſcripſit ſanguine Xanthum,
Mille & Peliaca ſpicula jacta manu,
Idem miſſa Tua numerarit fulmina dextra,
Boynæas idem ſcribere ſperet aquas.
Gradivi auſa jugis aptare Metumque Timoremque
Et Tibi Tè dignos Muſa paraſſet Equos.

Non adamanta tamen, Vulcaniaque arma dediſſet;
Tu fers in medios pectora nuda globos.
Nec maleſuada tibi tantos movet Ira furores,
Aut animum accendit fœda cupido tuum:
Vivida te Pietas ciet, & Reverentia Divum,
Atque inconcuſſus Relligionis amor.
Dum ſuſpenſa ſtetit dubia Victoria penna,
Nondum æqua inceptis, ſed nec iniqua tuis,
Spemque metumque inter, quam non prenſavimus aram!
Aut quæ non caſus horruit Ara ſuos!
Soſpite Te, ponit dubios Rhedycina timores,
Sollicitoque ultra nil rogat ore Deos,
Ut Tu ſis fælix, petiitque petetque Tonantem;
Ipſa ut ſit ſoſpes, Te Rhedycina rogat.

Ad Reginam.

REgis amans, Regi multum dilecta Maria,
Accipe Muſarum, quas capit Ille, preces.
Si Samon inſpexit Juno, ſi Pallas Athenas,
Reſpice Tu noſtros major utraque Lares.
Te Dominam Rhedycina colit, Tibi deſtinat aras,
Atque Deæ ſupplex Diva precatur opem.
Hæc mea præcipue facilem te mænia ſperant;
Hoc noſtra eximium ſpondet Eliſa decus.
Quam dudum imperio exortem ſi rara requirat,
Hoc tribuit ſceptris Anglia grata tuis.
Agmina dum ducis, mediiſque in millibus ardes,
Et Martis tractas aſpera bella Venus;
Siquis forte Senex adſit, cui nomen Eliſæ
Et priſci fuerant ſemper in ore dies;
Cedo, ait, & poſthac majorem agnoſco Mariam;
Pulchrior Hæc, & non fortior Illa fuit.

JON. EDWARDUS *Coll. Jeſ. Princip.*
Academiæ Vicecan.

Ex *Hibernia Reditum.*

DUm Tu Laurigeros ſuper arma rebellia currus,
Et fugitiva ferox agmina, Cæſar, agis;
Denſa per Hibernas dum ſpargis tela cohortes,
Inque ſuos timidas cogis abire lacus;
Cui Tua ſervandos permiſit cura Britannos,
Suffecit ſceptris Diva Maria Suis:
Cum profugi tererent Britonum confinia Galli,
Vix ad prima auſi littora ferre pedem;
In medios multo venit Ipſa ſatellite campos,
Incipit & roſeo fortius ore loqui:
Ipſa alacres fidens hortatur in arma Catervas.
Auſpiciiſque jubet bella movere ſuis.
Talis ad attonitas ſtetit olim interrita ripas
Thermodoontæi Penthefilea vadi:
Talem jam timide rediturus Iberus Eliſam
Caſtra inter mediam Tilburiana ſtupet.
In ſe equidem miſſas riſit Regina procellas,
Audivit pugnas ſed tremebunda Tuas;
Extimuit ne quo ſteteris diſcrimine lethi,
Cum rueret vaſto plumbeus orbe globus.
Sed tecum ſocios iterum jam miſcet honores,
Et propius chari Cæſaris ora videt;
Tranquillas iterum regni tibi tradit habenas,
Quas oculis placide temperat Illa ſuis.
O fortunatum populum! dum ſceptra tuetur
Naſſaides bello, pace Maria regit.

Jacobus Comes de Angleſey
ex *Æde Chriſti.*

O Edoarde ingens! nomen memorabile Gallis:
Tuque alter, tanto digne Parente Puer;
Volque Animæ, quas, dum Chichleii mænia ſtabunt,
Miſcebit ſuperis ſeptima quæque dies.
Reſpicite has lætæ Terras magnumque Nepotem
Qui functos Senonum ſanguine placat avos:
Nam tetigit veſtras Gulielmi gloria Sedes,
Umbraque Boynæas plurima narrat aquas.
O hilares nimium Britones, nimiumque potentes
Si nullus premeret gaudia tanta dolor!

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Quod Lodoix velit, & magno mercentur Hiberni,
  Schombergi hoſtilis cæde ſuperbit ager.
Non tantus medios ibat Patroclus in hoſtes,
  Nec moriens, tanti cauſa doloris erat.
Tu tamen & juſtis parcas, Rex magne, querelis,
  Nec ſua quem tulerint fata, repoſce Senem.
Dum ſuper Ormondus fuerit, dum torſerit Haſtam,
  Non deerit bellis dextera fida tuis.

L. W. Finch.
Honoratiſſ. Com. de *Winchelſea* fil.
Coll. Om. An. Cuſtos.

QUo vatem anhelum, quo faciles ſequi
  Ducis Camænas? dum nova prælia
Aptare, dum lauros recentes
  Imparibus numeris fatigas.
Quis te canendo, maxime Principum,
Æquare ſperet, quis numeris potens?
  Seu pingere hoſtili decorum
  Sanguine, ſive tuo, liberet?
Oh? qualis hoſti fruſtra avido fugæ
Inſtas premendo! quam ſimils Deo
  Tu fata Victor ſegni Hiberno
  Dividis æqua, levique Gallo?
Talis nivoſi per juga vertitur
Gradivus Æmi; ſeu pavidis Scythis
  Intendit haſtam, ſeu rebelli
  Forte Getæ meditatur iras.
Tu ſolus hoſti dedecus impigro
Victor reponis, ſolus agis retro
  Tyrannum amicorum pudendis
  (Heu nimium!) ſpoliis ſuperbum.
Te vidit arcto flumine Boynius
Inſtare torvum, & poſcere prælia;
  Te vidit, armatalque ripas
  Vix reflua prope lambit unda.
Fruſtra recedit, tu vacuo citus
Flumen cruentum ſufficis alveo,
  Sinuque mutatum trementi
  Oceanus fluvium recuſat.

Incauta

Ex Hibernia Reditum.

Incauta ſed quo Muſa, per ardua
Rerum Poetam quo rapis imparem?
Regiſque quo feſſum jubebis
Signa ſequi haud timidi perire?
Hæc fortiori, cui Deus æquior
Plus bellicoſa poſſe dedit tuba,
Permitte vati: tu jocoſæ
Junge loquax leviora chordæ.

Spencerus Compton
Horatiſſ. Comit. Northam. Farter.

SI referat lætas tibi tota Britannia palmas,
Et meritæ cingat frondis honore comas.
O quid ſervati debent tibi Cæſar Hyberni?
Quid Tutelari ſolvet Ierna Jovi?
Quam tu reſtituis, cedet tibi copia ruris,
Inque aras creſcet multa juvenca tuas.
Quinetiam (craſſo paucus licet aere vates,
Floreat, & rari dent Helicona lacus.)
Annue, reddideris domino cum prædia pulſo,
Reddita diſſimilis cantet ut arva Maro.
At tu Roſcommone, comes qui dulcibus umbris
Virgilium medius Mæonidemque tenes.
Si tibi permittit noſtri commercia cœli
Elyſium, patriæ ſi modo fata vides.
Nunc inconceſſas ardes evadere in auras,
Auriacumque tua ferre ſub aſtra lyra.
Quam bene tu Britonum volucrem deſcripſeris alam!
Obſtantes victrix quæ ſuperavit aquas.
Cantaſſes medium ut rueret Naſſavus in agmen
Juverna ut poſito cederet enſe cohors.
Præcipuumque decus meruiſſet gratia, juſſit
Quæ jam ſecuros civibus eſſe Lares.
Optarunt omnes placidum cito cernere currum
Cæſaris, & vinci poſſe triumphus erat.

Car. Boyle ex Æde Chriſti
Hon. Com. de *Orrery* Frater.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Ad Navem quæ Regem Auguſtiſſimum de victis Hibernis Reducem tulit.

O Diva, ſilvæ *filia* nobilis
Reddis potentem quæ tibi creditum
Heroa *Guilhelmum*, Britanni
Grande decus, columenque cœli,
Sic ſic prementem te *Oceanus pater*
Pronæque curent ludere carbaſis
Auræ faventes; ceu *remota*,
Sive petas propriora regna.
Hæc in remotis gentibus audies,
Quo fama rerum *conſcia* præiit
Fractos Hybernos, & triumphum
Naſſovii reſonare docta.
Qui ſævientis fluminis impetus
Et non *Minores* pertulit hoſtium;
Tantæque molis jam repertum
Impavidis dare jura Hibernis.
I nunc parato nectere lauream,
Heu quid moraris promere Cæcubum?
Regem *redonatum* canemus
Incolumem, *ſpoliiſque clarum.*
Periclitantes res *ſuperum pater*
Firmabat olim ſic tonitru gravi;
Ridenſque pacato gigantum
Ad ſuperos rediit tumultu.
Sed quo *calentem* Muſa licentius
Tollis *poetam*? protinus *impares*
Deſiſtam ego cantus movere,
Barbiton hic paries habebit.

Jacobus Brydges è Nov. Coll.
Honoratiſſimi Dom. Dom.
Chandos fil. Natu maximus

Ex Hibernia Reditum.

INſperata videt tardi compendia belli
Naſſaidemque ſuis prima reponit hyems.
Non tulit Ille ſuo ſecuras aggere foſſas;
Juverni tantas non meruere moras.
Dicite diviſos quo fregerit impete fluctus,
Pro Duce ſollicitæ cum timuiſtis aquæ!
Quo properat celer aſcenſu; quibus emicat armis,
Dum victo ripas arduus amne tenet!
Nequicquam per nota ruunt divortia Galli,
Acrior à tergo Cæſaris Ala premit.
Portam Eblana aperit; feſtinantique veretur
Ne lento nimium cardine fiſtat iter.

Victori, Rhedycina, omnes impenſius artes
Profer, & ante ſacros prodiga funde pedes.
Voſque adeo propius quos olim aſſueſcere Phæbo
Juſſit, & Aonio fovit Eliſa ſinu,
Vos Juvenes (mea cura) & Tu Domus inclyta fama
Uſque memor Reges Regibus orta canas.
Hæc eſt perpetuis victoria digna Camænis
Et quam centeno non potes ore loqui.
En Phœbea cohors aſſurgit, Cæſar, & ardet
Plurimus ante tuas Ennius ire tubas.
Cauta ſonat paſſim innocui fiducia plumbi;
Et multis pleno Boynus in ore tumet.
Eſt etiam hic leni afflatu cui temperat ignem,
Et faciles adhibet blanda Thalia modos.
Eſt & qui, Maria, refert Tua mitia jura,
Et bene fœmineam ſceptra decere manum;
Quam par tractaſti tantæ geſtamina molis
Cum ſocio malles quæ tenuiſſe Viro!
Anglia civiles ut tandem oblita tumultus
A vultu didicit mitior eſſe Tuo!
Hanc Vates in ſera propagant ſecula famam,
Cumque Tuo poteris Cæſare ſæpe legi.
Tu modo laurigeris belli exſaturate triumphis
Cui Mars nil ultra quod det honoris habet,
Jam Tibi devotas reſpexeris æquus Athenas,
Palladiaſque artes Martis Alumne fove.
Non equidem ingratis conceſſeris otia Muſis;
Nec minor indultæ laurea Pacis erit.

Henricus Aldrich
Ædis Chriſti Decanus.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

DUm Leopoldus adhuc cautus ſua ſpicula bello
Exacuit, necdum terret Germania Gallos;
Unus onus tantum, tantique incendia belli
Suſtinet Auriacus; Celtas Mavorte furentes
Unus ſtat contra; & quamvis diſtantibus oris
Fulminet, ingentem Delphinum horreſcere cogit.
Ille duces Gallorum, & totas enſe catervas
Turbavit, ſtrictis cum nuper inhorruit armis,
Boandique atro maculavit ſanguine ripas.
Heu Lodoix! non hic lento venit agmine Cimber,
Non imbellis Iber; Gulielmus fervidus inſtat,
Et truncat Senonas, rapidumque immittit in amnem
Exanimes; gladios torquet, clypeoſque ſub undas
Cærula lympha, avidoque involvit gurgite Gallos.
Quas late ferro ſtrages, quæ funera ſtrictis
Ediderint telis, & quos ſubiere labores
Angliaci, ſatis heu! teſtantur vulnera Regis,
Et gravis ignota Schombergus fuſus arena.
Illum armis, & Marte horrentem Gallica ſtravit
Haſt; triumphales heu! ſordent pulvere laurus.
Tunc tandem imbelles audent accedere Galli,
Examinemque videre ducem, quem ſæpe furentem
Cuſpide, præcipiti fugere per avia paſſu.
Nunc mordent dictis, gladioſque in viſcera condunt,
Et lacerant ſparguntque ſenilia membra per agros.
Adſis ô Gulielme, Duciſque ulciſcere manes,
Et face Borbonium ferroque ſequare tyrannum.
Nec tamen indulge lachrymis, nec funus inani
Dedecora fletu; felix, cui contigit inter
Arma tubaſque mori; quem non ingloria peſtis,
Non febris rapuit. Quoties Lotharingius Heros
Optavit tanto nequicquam occumbere fato!
Illum armis poſitis diri vis improba morbi
Torruit, heu! memorem nequicquam laudis avitæ,
Atque expugnatæ Germano milite Budæ.
Sed quo Muſa? illum Rheni Leopoldus ad undas
Defleat, & verſis Germania lugeat armis.
Nos alio majora vocant; Nos Cæſaris arma,
Nos juvet Auriaci potius numerare triumphos.
Atque utinam liceat venturo expandere ſeclo,
Quantum te Rhodanus; quantum, fortiſſime Princeps,
Senſit Arar; quantum te Neuſtria ſenſerit olim.
Sed tantum me terret opus, tacituſque recedo,
Et ſuſpendo Lyram; major tua fortia vates
Geſta canat, noſtris non diminuenda Camænis.

Chriſtophorus Hales Baronet. ex Æde Chriſt.

Ex *Hibernia Reditum.*

AUguſtus meritis & multo à Marte triumphis
Victo immortalis Cæſar ab hoſte redis.
Clarior haud domitis rediit vel Bacchus ab Indis
Cum Patrem aſſererent arma ſecunda Jovem.
Cum Titulis ſpoliis & victor onuſtus Eois,
Cerneret in laudes ſurgere Templa ſuas.
Alcides potuit numerum poſuiſſe laborum:
Tota nequit luctas Fama referre Tuas.
Quis numerare poteſt dextræ miracula veſtræ?
Fas eſt fulminibus cuncta patere Tuis.
Te Tentante vadum ſenſerunt flumina Regem;
Diduxitque ſuas Boinius amnis aquas.
Vix magis Hebræa videantur ut æquora virga,
Quam findi gladio flumina poſſe Tuo.
Quam miranda fuit ſpecies Duce Principe turmas,
Per flammam atque undas oppetiiſſe decus,
Laudem Alii captant ubi nulla pericula Reges,
Vulnera fert Miles, præmia ſola Duces.
Præfulges ſtricto belli tu Phoſphorus enſe
Et claro in famam lumine pandis iter,
Fervidus accepto Tu vulnere proteris Hoſtem,
Irruis, atque animos addidit ipſe dolor.
Pulchrior Ipſe tuo perrumpis ſanguine turmas.
Mortalem ſolus Te probat Ille cruor.
Fælix qui meruit tanto ſub Principe Miles,
Cui datur exemplo vincere poſſe Ducis!
Fælix cui appoſito ſudor detergitur auro,
Cingitur & lauro nobiliore caput:
Nempe Tuis comes eſſe ſolet victoria ſignis
Non auſa imperiis non paruiſſe Tuis.
Haud unquam Martis rubuit fælicius enſis;
Et minor in Bello creditur Ille Deus.
Quanto in Threiciis prædari Biſtonas arvis
Eſt minus, & modico ſubdere colla jugo?
Quam circumferre attonitum pia bella per orbem
Cogere & in leges Martia regna Tuas:
Attollenti iras quam colla incidere Hiberno,
Pacis Raptores & cohibere lupos:
Quam juſto ingratum tonitru percellere Mundum
Fulmine, & in terris vel ſuperaſſe Jovem.
Frangere quam Galli claro in certamine faſtum
Ut primum bello prægravis Hoſtis erat.

Hæc

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Hæc ſunt ſumine Heros quaſi veſtri Encænia regni
  Gallica ſuccumbit vis & Hiberna Tibi
Palmarum geminam Tibi meſſem protulit Annus
  Parturiunt hilares & nova ſerta dies.
Quantus eris quando Oceano ſub claſſe gemente;
  Tu clauſo impones Anglica jura mari?
Cum ſparſa innumera funeſta per alta ruina,
  Pervolitet victam laurea veſtra Thetin?
Quantus eris cum Lutetiæ Tua ſceptra reſumes,
  Serpet & in Titulos Gallia victa tuos?
Interea juvat inceptos celebrare Triumphos;
  Et reduci noſtro ponere Thura Jovi.
Siccemus largo fontem Permeſſidos ore
  (Sufficit in laudes nec tamen Ille Ducis)
Spes noſtras laxare jubes Auguſte, futuri
  A bene præteritis clarius omen habes.
Sed ventura Tuo fas eſt committere cœlo;
  Quæ venit in præſens gloria tota tua eſt.

Guil. Wyat Aulæ Beatæ M. Virg.
Principalis atque Academiæ Orator Pub.

JAm tandem tot feſſa malis reſpirat Ierne,
  Victaque vel victore ſuo magis ipſa triumphat,
  Et damnis ſervata viget, floretque ruinis;
Illa, diu nimium Gallique Anglique Palæſtra,
Bella intra ſeſe pluſquam civilia portat,
Non tantum laniata ſuis, ſuper agmina vexant
Extera, & à ſeſe laceram nova vulnera gentem
Diſcerpſere foris, & Celta ſupervenit hoſtis,
Languentemque prius prope funditus exſcidit omnem.
Nec ſtetit hic fatum, venit acrior omnibus armis
Æthere miſſa lues, & cladem cladibus urget:
Peſtiferus pro gente ſua commilitat aer,
Non teli opus eſt ullis cœlumque paluſtre
Latius & citius gladiis vaſtaverat ipſis,
Semper enim certæ veniunt à ſole ſagittæ.
Præcipua at genti funeſtaque fœdaque peſtis,
Ilia quæ diris cruciatibus ignea torquet,
Purpureo cogens animam deſcendere in imbre,
Poſtica & corpus deſertum fallere porta,
Poſtremo Autumno furit hæc: crudelius aſtrum

Nunquam

Nunquam ibi regnavit, nec tetrior imbribus annus,
Nec bibit infeſtas unquam magis Aura paludes.
Raro emerſa dies tenebris, luceſque malignæ,
Spirat fœdus odor, ſtat craſſis nubibus æther:
Hinc populis effuſa lues imperdita bello
Corpora cum timidis fato damnavit iniquo,
Juſtius hoc ſaltem, non ipſis parcit Hibernis.
Diſpereunt utrinque Acies, jam ſtricta remittit
Tela manu, lugetque infami Marte peremptus
Miles, & hoſtilem, dum concidit, invocat haſtam,
Et quamvis pacem morbus dabat, undique campos,
Sic quaſi poſt pugnam, denſata cadavera condunt.
Tu Princeps inter cunctos celeberrime Reges
Accedis medicina malis: Tu triſtia primum
Litora cum tangis, tibi mox contagia ceſſant,
Ut Soli ceſſiſſe ſolent, Niloque per agros
Effuſo; Ingenti miteſcit ab Hoſpite Cœlum,
Et purgat ſeſe venienti Purior aer.
Nec mirum atrocem ſi peſtem, & noxia genti
Aſtra fugas, qui bella fugas; tua lumina nunquam
Illa vel iſta ferunt, fugiunt te bella, lueſque,
Et ſequitur pax, atque ſalus, quacunque venires.
Hinc tam præcipiti ſuperas ſemel omnia curſu,
Sæpe oculus peragit bellum, ſed Dextera ſemper;
Omnis victa uno tibi ceſſit Hibernia campo,
Ac ne victa quidem tibi paruit Anglia viſo.
Si quando gladium ſtringis, victoria præſto eſt,
Teque ſuis alis vix illa ſequatur euntem;
Perrumpiſque moras omnes, nodoſque ſecabas.
Non fluvii ingentes armataque ripa coercent,
Verum amnem pariter ſuperas hoſtemque reniſos;
Quamvis interea horrendo diſploſa fragore,
Æra tonent, revomantque truces à littore flammas,
Perque undas tibi fit via certa, ipſoſque per ignes.
Nil remorantur aquæ, non pontem non vada quæris,
Ipſe tuis Pons unus eras, ducenſque per amnem
Sternis iter, cedunt undæ, mox denique & hoſtes,
Nec ſervare audent ablato flumine ripam.
At poſtquam ſtabili licuit concurrere Campo,
Atque virum certamen, aquis ceſſantibus, inſtat,
Quid non celſus equo! quæ non miracula præſtas!
Primos inter, ubi conferta pericula poſcunt,

In Exoptatum Sereniſſime Regis

Semper ades, denſoſque globos premis enſe coruſco,
Vortice fumorum coopertus, & igne relucens:
Nil Tu lambentes circum tua tempora flammas,
Fulgura nil curas, dum fulminis impete vaſto
Ipſe incedis ovans, obſtantiaque agmina frangis.
Ah nimium ſecure Tui, ſecure tuorum;
Si Tibi, ſi capitique tuo non parcere certum eſt,
Parce tuis: turmis parcas, & gentibus unus,
Quæ vivunt pereuntque tuæ de ſtamine vitæ.
Namque audax nimium dum tot diſcrimina temnis,
Heu quam pæne nocens bombarda invita fuiſſet,
Ni magna audentem Mars & Fortuna juvarent;
Illa quidem ſtringit tantum, contenta monere,
Et ſalvum lædendo velit, Dominumque verentur
Bella ſuum, Tibi tot quondam latura triumphos.
Altius hoc vulnus ſi forte fuiſſet adactum,
Nulla magis fati culpa hac memorabilis eſſet,
Ex quo Mars patitur mortalis vulnera ferri.
Non tulit invidiam Fortuna; & reddidit Anglis
Depoſitum jam fida ſuum, nec pertulit ictum,
Occupat, & mediis venientem eluſit in auris.
Ergo tuis rediiſti haud uno nomine charus,
Et geſtis pariter magnis, magniſque periclis
Gaudia das Victor, majoraque gaudia vivus,
Commendat nam læta timor, ceu nubila ſolem;
Eſt tua grata magis laurus, quod vertice ab ipſo
Sit prope fulmineo decuſſa, exuſtaque telo,
Nam delibatis parva tibi clade capillis
Servavere caput tantum dubitantia Fata.
Tu Fruere ergo domi tantis, Auguſte, triumphis,
Nam quicquid vel noſtra ſalus, vel gloria veſtra
poſcit, adeſt nobis, & jam tua dextra paravit.

Guil. Levinz,
Coll. D. Johan. Bapt. Præſes,
& Grecæ Ling. Prof. Regius.

UNdique ſævit atrox *Lodoicus*, & omnia ferro
Vaſtat, & hinc *Batavos* proſternit, & inde *Sabaudos*.
Qua vero *Angliacæ* victricia ſigna cohortes
Expandunt, campo devictus cedit aperto
Gallus, & *Auriaco* fugitivus caſtra relinquit.
Ille truces animos; & inanes comprimit iras
Cuſpide, *Borboniumque* armis miteſcere cogit.

Turbatas

Ex Hibernia Reditum.

Turbatas acies, Gallorumque agmina teſtor,
Et lentam tabo multoque cruore *Boandam.*
Heu funeſta *Boanda*! tuas violavit ad undas
Plumbea glans *Gulielmum*, undæ rubuere cruore
Cæſareo; pigro quin poſthac curre fluento,
Et volve infames lugubri gurgite fluctus;
Sis poſthac limoſa palus, fis ficca; nec olim
Cœleſti læteris aqua, nec fonte perenni;
Sed rapidi ſemper ſoles, ſed Sirius ardor
Incumbat, nimioque undas exſorbeat æſtu.
Heu! quantum fortuna tuum crudelis ad amnem
Auſa nefas? late Angliacæ tremuere cohortes,
Et tremuit tanto concuſſa *Britannia* motu.
Stat tamem intrepidus Princeps, & prælia miſcet
Fervidiora, manuque unus juncta agmina fundit.
Seque iris, atque inſidiis, & mille periclis
Exponit, graditurque per arma horrenda, per ignes
Securus; tanto quin, *Cæſar*, parce labori,
Vix iſte eſt Lodoix, vix tota *Hybernia* tanti.
Cautior in bellum properes; Victoria nobis
Sat ſtetit: ignoto *Schombergus* ſternitur enſe,
Et gemit adverſis *Graftonus* ſaucius armis.
Heu juvenis! tune es, per quem revireſcere lauros
Anglia ſperavit, lapſaſque reſurgere palmas?
Tune ille es, nuper quem ſenſit Gallica claſſis
Ardentem, & fractæ fugere per æquora naves?
Ecce autem, fallax noſtras niſi nuncius aures
Decepit, rurſus vivit *Graftonius* Heros.
Vivit, Io! lætis inducite tempora ſertis;
Vivit, Io! *Graftonus*, & ultor cuſpide ſtrages
Mox dabit, & Gallos ferroque ignique ſequetur.
I nunc, *Naſſaide*, Senonumque invade cohortes,
I citus, &, dum tu, Cæſar, procul orbe remoto
Bella geris, non nos externa horrebimus arma;
Non, ſi iterum noſtras *Lodoix* invaſerit oras
Horridus innumeriſque viris & mille carinis.
I, populi ſecure; haud propugnacula regno
Unquam defuerint, auras *Graftonius* Heros
Dum trahat æthereas; aliqua dum parte ſuperſit
Arlingtona domus, domus haud reticenda Poetis,
Dum ſua laus *Veneri* ſteterit, dum Gloria *Marti.*

Ant. Radcliffe S. T. P.
Eccl. Chr. Subdecanus.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Carmen Arabicum.

من كرم الله فيكرم الله
من للدين سلاح له الدين السلاح
ان جارن الملك ملاحم الرب
بلا شك يكون له النجاح
بارك الله وليام ومريم
ليصير بهما للملك الفلاح

Ed. Pococke Ædis Chriſti Præbendarius
Ling. Hebr. & Arab. Profeſſor.

Carmen Turcicum.

ايرليم صواش خنكارمز كه قهرماندر
اول كه بو زمان ايكنجي صاحب قراندر
ياغي لر اولدردي بر اوزره بصدي
اندن صكره بر هجسي دترش كلدي

Perſicum.

فاش كنم خبر از شاهنشاه پاديادد
كه دشمنادش ازو كارزار سخت يافتند
بيامد ايشادرا بديد مغلوب كشتند
از باروي زور بادپاي بهتر پند اشتند

Thomas Hyde S. T. D.
Protobibliothecamus Bodleianus.

Ex Hibernia Reditum.

ABſumens carie excutiat mea Muſa veternum,
Quæ latitans umbra tantis obtorpuit annis;
Nunc fauſtis Avibus caligo tota faceſſat,
Rex cinctus radiis & *erit mihi Magnus Apollo*;
Quod Martem accendit dum perſonat ære recurvo
Urbs, & votivæ flammæ plaudente favilla;
Oſtendit clypeoſque ſuos & concutit haſtam
Palladis Alma Cohors, & habet ſua Caſtra Minerva;
Hoſte ſed effuſo jamjam diſpuncta Maniplis,
Carmine ſubſultat, fert & tibi Munera Pacis;
Produnt quæ Nobis fecilti hos otia fructus;
Thus ſurſum mittit ſua læta volumina fumi,
Et Dea victorem expanſis circumvolat alis;
(Auguſti ut laurus juxta ſuccreverat aram;)
Fomite tam leni Feſtivum ventilat ignem,
Qui Cœlum verrit nativis concolor Aſtris;
Ægra fatiſcebat Brittannia, ſtamina vitæ,
Vena capillaris tenuit ſuflamine vili:
Cuſpide præcipiti ut pendebat Damoclis enſis:
Inflictum vulnus nunc ore patebat Hiulco
Et ſanguis querulo poſcebat gurgite dextram,
Euridicen noſtram eriperet quæ faucibus orci
Læva minabantur ſubitam præſagia mortem,
Et pulſus ſimulat tremuli curvamina vermis:
Quo medicum arceſſat tantis ignara periclis
Innumeros Hoſtes, paucos numerabat Amicos:
Fingere nequitias gens callentiſſima diras
Dum ſtruit inſidias, infidos arte trahebat:
Illecebris vulpis cedebat degener agmen,
Accedunt Papæ qui ſunt opprobria nobis.
Et ſordes noſtras Tiberis ſuffundimus Alvo:
Plorabant temerata Themis violataque jura,
Sanguine majorum quæ conſignata valerent,
Cum Populi & Regis conſenſu fœdus initum eſt:
Inconcuſſa fides ſolio turbatur Avito:
Pegmata profuſo lugent infecta cruore:
Cuncta hæc communi miſcebant imbre querelas:
Hic planctus reſonans a littore perculit aures,
Supplicat & noſtris gravidus ſingultibus Eurus:
Sis præſto ut ſalvam perituram reddere gentem;
Tunc conquiſitas Naves conſcendere juſſit
Amphibios Nautas, *Pectus quoque robora fiunt*:

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Qui funes glomerant, tendunt Ampluſtria ventis;
Unanimi charam Patriamque celeuſmate linquunt
Ut redimant noſtram; vocitant portenta Deorum,
Invictus Cæſar proſtratam trajicit undam;
Sed mala ſuccreſcunt, exciſa repullulat Hydra;
Antæus vires læſas inſtaurat Ierne
Alcidis quanquam repetito ſaucius ictu;
Emergebat aquis ſic Delphicus iſte Natator:
Terra Paludoſis ſylveſcit ſaltibus uda,
Quæ denſis horret ſpinis, impervia ſoli:
Vomeris indocti quæ nunquam dente ſubacta
Quiſquilias profert plantarum ignoble vulgus;
Furtivas quærit latebras Mœotide prædo
Hic agit excubias, *Sed læva in parte Mamillæ*
Nil ſalit Arcadico Juveni; nam ex tramite cæco
Emicat, & ſpoliis inhoneſtis vivit onuſtus;
Villoſos tantum oſtendit gens infima Pannos,
Inculti crines & pero pellis ovina;
Par domus eſt Domino, teſquis his incola dignus,
Effera cui mens eſt, trituſque Hirſutus amictus;
Hic inimica lues graſſatur ſævior hoſte,
Confertim Juvenes caligati tabe peribant;
Febribus ignivomis & pars correpta jacebat.
Quæ caſtris perimunt damnis uliginis ortæ;
Et vires ſenſim decreſcunt ventre ſoluto:
Corruit in feretrum portans veſpillo ſodalem,
Quæ manus alterius morientis lumina clauſit
Protinus obriguit, Niobe ſua funera miſcet:
Sola ſuos celebrat mœſtos Libitina triumphos,
Infælix tellus congeſta cadavera jactat:
Inflammat pectus ſolitus Mavortius ardor,
Qui gliſcit venis Atavorum ſtemmate clarus:
Nam campus nondum in plenas adolevit Ariſtas,
Nunc matura ſeges Regali falce ſecanda eſt:
Nec mora; carpis iter pelago quo mille procellæ
Exagitant ſævo Decumanos turbine fluctus,
Et ſcopuli infames eliſis Navibus hærent:
Cum Te cymba vehit placidus vix fibilat aer,
Detumuit Boreas, cohibent ſua murmura venti;
Nunc obſtat fluvius rapida Tranabilis unda:
Littore in adverſo diſponunt ordine turmas,
Ac imas valido circundant aggere foſſas;

Nunc

Ex Hibernia Reditum.

Nunc belli tormenta fremunt *ratio ultima Regum*,
Fortia quæ medio diſcerpunt corpora fluctu;
Intrepidus Xerxes ſubſtrata compede vinctum
Tranſilit, & tumidum caſtigat faſcibus æquor,
Inſtructas acies perrumpit fulminis inſtar,
Et ferro Armatas ſtricto fugat enſe Phalanges,
Quæ non ferre queant non evitare furorem:
Fulguris afflatu ſubiti ſua corda liqueſcunt:
Undique Rex perſtat cæſim ſua vulnera ſpargit,
Bella ruunt: Cœlum reboat crepitantibus haſtis:
Guttis ſanguineis diſtillat plumbeus imber;
Suppreſſi rauco gemitus clangore quieſcunt.
Horrida tela ſonant & ſtridet miſſilis ignis;
Feruet equus præcox, hinnitu provocat hoſtem,
Ac equite excuſſo laxis percurrit habenis
Campum, proſternens quiſquis venit obvius ultro:
Sed dum perſequitur fugientes nobilis exul,
Qui vitam in tantos laute produxerat annos,
Et Ducis Angliaci fuit inſignitus honore:
Nunc terram mordet confoſſus vulnere Neſtor;
Cæſaries nunc cana rubet, ſibi tempus amice
Indulgebat edax, ſed non glans dira pepercit;
Cedebat morti, primo ſuccumbere doctus:
Ex Æris abolenda dies & nocte tegenda eſt,
Cimmeriis infauſta dies damnanda tenebris!
Ætatis ſeræ faſtis tua facta volabunt
Cuncta per ora virum æternis ſignanda tabellis:
Sic Dux Thebanus qui vixit gloria gentis.
Graiæ, Plutonem petiit victricibus armis:
Occubuit bello Lutzenſi Suecicus Heros
Cum delaſſata Germanos cæde fugabat,
Funus adornabat cum lauro mixta cupreſſus:
Sic expiravit veſtalis preſſa trophæis.
Inclyte ſic Schomberge cadis? *Moriemur inulti?*
Purpereas animas fundit Rex vindice dextra,
Excidiumque ſenis compenſat fœnere largo;
Plurima ſuccenſos placabit victima Manes,
Sanguine & ara fluet, *Sic ſic juvat ire ſub umbras*;
Te plauſu populus Reducem comitatur eodem
Omine fælici tibi quo plaudebat eunti.
Non lugent cæſos natos Te ſoſpite, Matres
Sed conclamata reputant ſe prole Beatas:

Et ſegmentata commutant veſte Theriſtrum ;
Uxor non plorat charo viduata Marito,
Sed molles lachrymas abſtergit, inutile flumen ;
Sic cum deliciæ Romæ Germanicus ingens
Jam Patrium limen repetebat itinere longo ;
Nuntia prædixit Juvenem cum fama propinquum
Et compta facie & morum candore nitentem,
Compita nudantur, nam Plebs effuſa ruebat,
Garrula turba fori Prætorem deſerit orbum,
Et lætabundum gens vocibus aera turbat ;
Oſcula figebant labiis quæ rore madebant
Criſpabant flavos digito ludente capillos :
Spectat & Argutis oculis inupta Puella,
Clinicus applaudit, Præſens populuſque futurus ;
Se vita functum rumor percrebuit eſſe,
Longinquo in regno miſcet cum prælia victor.
Tunc ſua contriſtant totam ſuſpiria Romam
Ignavum rapidis augebant fletibus amnem :
Sacrilegis manibus frangunt ſimulachra Deorum
Et multo opplebant auratas pulvere Thenſas ;
Sed nondum innocuo nigrum bibit ore venenum
Et ſic commoti Populi deferbuit Æſtus ;
Te Regina ſuis complexa eſt mollibus ulnis,
Qnæ percuſſa tuo exaudito vulnere ſpaſmis
Exanimis jacuit, tunc experrecta gemebat
Efflictim, denſis & perſtrepit Aula querelis :
Sternere non potuit fulmen ſed inerme cadebat ;
Altera Romanam pepulit Boadicia gentem :
Rege ſuo digna eſt, tanto Te digna Marito ;
Sentiat immitem dextram nunc Gallica tellus,
Henricum repetas animo qui Lilia tinxit
Cædibus innumeris ; ac arva cruore fluebant,
Et Pictavenſis renoves miracula belli.
Una Gens pugna tantum non tota peribat ;
Qui imminet Europæ tunc debellato Tyrannum,
Tu virides gyros capitis Diademate vincas ;
Tunc manibus tenſis, accentu ſupplice pacem
Poſcat ; necquicquam fallacibus annue votis,
Sed teneas ſtrictim clathrato in carcere vinctum,
Excutiat mundi captivus Turca cachinnos.

Matt. Morgan, LL. Doctor.

Ex Hibernia Reditum.

QUot bellis oppreſſa novis, quot Monſtra vel una
Inſula viſceribus nutris Ierna tuis?
Undique jactatam longus premit ordo malorum,
Et lacerum monſtras undique feſſa latus;
Quæ mala præterea? quæ Gens admiſerit unquam
Tot peſtes? vel quæ plura Venena tulit?
Accurrit Gallus numeroſo milite, Hybernis,
Anglis, & juncto robore bella movet;
Gallos ſed Gallis, Anglòſque opponimus Anglis,
Cognataſque acies triſtis Ierna ſtruit;
Quod genus hoc pugnæ? quæ tanta licentia mortis?
Sanguine quod Socio flumina tincta rubent:
Wilhelmus Stator, dubii & ſpes unica belli,
(Anglia quòt mœſtas fundis ab ore preces!)
Seſe offert Pretium belli, Se ſpondet inermem;
Et placet iratis victima tanta Deis;
Proruit in pugnam ſecurus ab Omine, ſacrum
Stat caput illæſum; ſic voluere Dei:
Quod fuit in Fatis, vix eſt ſuperabile Fatum,
Neſcio quæ petiit dextra nefanda caput;
Brachium at erubuit tantillo à vulnere; Regi
Sic læſo ſuperos ingemuiſſe ferunt:
Addidit hinc animos ictus vix conſcius Armis,
Et fruitur tali vulnere Victor ovans:
Excubias egit vulgo cum milite Princeps,
Fluxit & immodicus ſudor Utroque ſimul;
Hoc potuit virtus precibus ſuffulta, Deiſque;
Principis hoc potuit milite junctus amor:
Pignora ſic Nobis ſuperi concredita reddunt,
Obſtrictam cœlum liberat atque fidem.

Joſh. Laſher, Med. D. è Coll. D. Joan. Bapt.

QUaliter Arctoi populi ſua gaudia miſcent,
Cum primo Phæbus lumine ſpargit humum;
Cum reduci triſtes terras ſplendore revifit,
Quæ jam ſemeſtri diriguere gelu:
Taliter, O Britonum vindex atque ultor Iernæ,
Gratatur reditus Anglia læta tuos.
Ah, quoties pro Te ſuſpiria fudimus ægra;
Tentarunt quoties & pia vota Deos!

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Incautus ne quis, ne quis temerarius auſit
Sacrilega immeritum Te violaſſe manu.
Jam vero aſſidua victus prece ceſſit Olympus,
Abſolvitque Deos provida cura Tui.
Cum rueres audax per aquas, per tela, per ignes,
Palluit ante tuos Mors tremebunda pedes:
Ergo Macte Heros, latum quate Sceptra per orbem;
Sentiat atque tuas Gallia victa manus.
Cum vero innumeris tandem defeſſa Trophæis
Mens erit, & requiem dextera laſſa petet:
Tunc tua cognato referas Inſignia cœlo;
Teque ipſum Divis inſere, major avis.

Fr. Brown, Coll. Mert. Soc. & Univ. Proc. Sen.

USque adeone tuis, O fauſta Britannia, rebus
Invigilant Superi? quoties te vidimus Orci
Faucibus ereptam? quot per miracula? nec dum
Deſiit eſſe Salus tua maxima cura Deorum!
Vafra tibi quamvis Roma hinc, atque inde minetur
Exitium, lituoque tuas circumſonet oras
Gallia; quantumvis magnos Juverna tumultus
Excuſſura jugum, cieat; tibi nil tamen iſta
Incutiant horrenda metus, dum præſidet Anglis
Magnus Araufiades; qui te jubet inter acutos
Amorum fremitus alte dormire ſub umbra
Ipſius Clypei. Quid non tua bellica pubes
Albion, efficiet tali Duce, & Auſpice tanto?
Ille etenim quam ſit Princeps metuendus in armis,
Quoque rotet gladium cum turbine, ripa fluenti
Teſtatur jam, Boyne, tui. Nihil agmina pilis
Horrida in adverſo, ſpiſſæ nil grandinis imber
Ferreus, aut flammis Bombarda tonitura vibrans
Sulphureis, poterant victricia Signa morari.
Ardua Wilhelmo nulla eſt via. Quin ubi primum
Alea ſe belli præbet; Me vindice dignus
Hic tandem eſt, hic nodus, ait. Sub mente volutat
Talia dum ſecum, ſupra caput aſtitit olli
Arbiter armorum; Deus utque ingentibus auſis
Annueret, ſcapulæ dextræ levis impulit haſtam,
Unde cutem exiguus tinxit cruor. Omine fauſto
Accipit augurium Princeps; ſubitoque per undas

Perque

Ex Hibernia Reditum.

Perque ignes in tela ruit; primaſque phalanges,
Limitem agens ferro, proſternit, & ocior Euro
Involat in medias, poſcens ad bella Jacobum.
Sed nuſquam reperire datur. Dudum ille fugaci
Fræna remiſit equo, longe poſt terga relinquens
Fuſorum alipides curſus, turbamque ululantem;
Jamque ſuos narrat coram te, Galle, triumphos.
At tibi quas laudes, Gulielme? & quanta trophæa
Hæc peperit memoranda dies? comitatur euntem
Te, quacunque vocas, Victoria fida; tuiſque
Vexillis inſidit ovans. Furor undique Galli
Flacceſcit; contraque tuæ quum fulmina dextræ
Tenderet, Imbellis non dedignatur haberi.
Eja age ſublimes, ô Rex invicte, quadrigas
Nunc iterum conſcende; latus dum claudit utrumque
Romulidum captiva cohors, incede per urbes
Victor, Io, Angliacas, gemino de Rege triumphans;
Inque tuos ſerpat modo plurima palma capillos.
Salve, O Vita redux Britonum! gratatur Iernen
Dum ſibi devictam rediviva Britannia; jactat
Ecce Suam, per Te bis jam ſervata, Salutem.

Fran. Bernard, Coll. D. Jo. Bapt. Soc. necnon Acad. Proc. Jun.

SCande triumphalem Victor celeberrime currum,
Et populo oſtendas mille trophæa Tuo.
Te virides lauri, expectant decorare, ſuperbæ
Perpetua veſtras cingere fronde comas.
Nec palmam victa ſolum de gente reportas,
Tu virtute hominum ſubdita corda domas.
Hæc Tibi corda damus, generoſæ præmia dextræ,
Hæc ſunt imperii juſta tributa Tui.
Tu ſemper ſpretis chara objicis ora periclis,
Sed tangunt ſacrum nulla pericla caput.
Quam fruſtra Tibi dira necem tormenta parabant,
Ecce piæ glandes oſcula ſola ferunt.
Sic vel ſecuro medios licet ire per hoſtes,
Ipſa Tibi virtus ægids inſtar erit.
Æacides olim indomiti Mavortis alumnus
Tutus erat Stygiis corpore merſus aquis,
Hunc ſuperas longe Qui fortior hoſtibus inſtas,
Tutior & cœlo præſide bella geris.

Petrus Mews, Gen. Comm. Coll. D. Jo. Bapt.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

QUi millenos retuliſti ex hoſte triumphos,
Quo duce Muſarum bis ſtetit alta domus,
Accipe victrices, quas dat Rhedycina, coronas;
Phœbeuſque ſacro vertice ſurgat honos;
Te ducente Deo, fidas petiere latebras
Fœda cohors, refugos Gallia vertit equos.
Inſolitos fruſtra fluctus quid ad aſtra Boœnus
Suſtulit, & vaſto mugiit ore canis?
Quam tibi Sylla rapax ſordet! Rhenuſque bicornis,
Jampridem tellus ceſſit, & unda, tibi.
Sed dum te nimio percuſſum Martis amore,
Sævior in medios impulit ira globos.
Quam pæne æternam flevit mæſta Anglia noctem.
Et noſtrum accendit fulminis aura rogum.
Fas tibi per gladios graſſari, impune per ignes,
Ipſe tuo tutus numine Cæſar eris.
Quid feſtas eluſa accendis Gallia flammas?
Imponiſque nigris Cæſaris ora focis?
Necquicquam flammis ſimulatos ſubjicis artus,
I manda tetris, corpora vera rogis.

Sackville Crow, Baronetti Filius, & Coll. Jeſ. Socio Com.

QUaliter Othryſium Cæſar cum vicerat orbem,
Et rediit populo victor ovante domum:
Floribus una vias, pars altera tempora lauro
Ornat, & Invictus Cæſar in urbe ſonat.
Te ſimili excipimus reducem Gulielme, Britanni
Plauſu, Qui Heſperio victor ab orbe redis;
Cæſare major ades, hic ſolum regna tuetur;
Tu regnum, & regni protegis enſe fidem.

Ad Mariam Reginam.

QUaliter aurato cum Phœbe juncta marito,
Illa minor, ſolis lumine merſa latet;
Adſtans tota tamen ſolaribus obvia flammis,
Lampade tum rutilans ſplendidiore micat.
Sic Tua, magnanimi texerunt acta mariti,
Virtuteſque diu delituere tuæ,
Senſerat arma Tui cum Regis Hibernia; dotes
Sat bene tum novit Gallia victa Tuas.
Rex ſolis, lunæ Regina imitere laborem,
Et quos percurrunt vincite utroſque polos.

Jo. Lloyd, Armigeri Filius, Coll. Jeſu Socio Comm.

Ex Hibernia Reditum.

Ode.

O Fida Navis, quæ Dominum Anglicæ
Reponis oræ, læta tibi fluat
Fortuna ſemper, nec ſecundus
Deſtituat tua vela ventus,
Quocunque tendis; Seu petis Indiam
Secura lucri, ſeu generoſior
Bellum in triremes Gallicanas
Non vacua meditaris ira.
Scimus, beatam quantus ad Inſulam
Accedat hoſpes; ſcimus, ut impiam
Gentem fugarit, multa mæſto
Pollicitam melius Jacobo.
Quid ripa ſurgens, aut medius liquor
Contra Britannum robur, & agmina
Sequuta Naſſavum, & juventam
Montiaci memorem Triumphi
Juvare poſſet? Primus in obvios
Mire efficacem exercet acinacem
Princeps, & inſignes & imos
Exitio premit æquus uno.
Qualem Poetæ, quos Epicus labor
Ævo Latino eduxit in æthera,
Ponunt vel Æneam vel acrem
Hoſtibus in mediis Achillem;
Ad quos colores non ego ſurgere
Conor canendo, cum neque Spiritus
Aſcendat æquus, nec modorum
Norma ſinat, tenuiſque verſus:
Talis Gatheli degenerem gregem
Naſſavus urget. Non reducem pater,
Non ſperet uxor, ſiquis enſi
Fiſus in oppoſitum propinquat.
Ac forte quiſquam laudis amantior
Illum exequentem ſæva negotia
Tiro laceſſet, quem decorum
Multa domi generoſa virgo
Ardet viciſſim, quatenus æmulos
Omnes choreis & pede mobili
Excedit, aut apte vocata
Ad citharam patriam camæna.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Eheu, nec illi fœmineus favor
Profit, nec artes, quin miſer occubet,
  Humique ſingultans amores
    Dimidios aliis relinquat!
Sub Rege tali quid putet arduum
Britanna pubes? En, alacris tuba
  Invitat! En, ſuſpenſa patrum
    Arma tholo repetamus unco!
Juvabit arces ſcandere Gallicas,
Plaudente mundo, & proruere oppida,
  Suumque vulcanum in ſceleſtas
    Ferre domos. Erit, ut colonus
Inducat Anglus curva Lutetiæ
Aratra ridens; tectaque regia
  Invertat; & feſſus ſub umbra
    Egregiæ ſedeat ruinæ.
At tu remittas tempore poſtero,
Cæſar, doloſam corpus in aleam
  Offerre pugnando; Hoc Senatus,
    Hoc humili rogat ore Vulgus:
An non propinquas atra Neceſſitas
Concuſſit alas, & memori nota,
  Ne Tu venires inter arma,
    Admonuit, Jove ſic jubente?
Averſus illi conſilio ſenex,
Ubique partis clarus adoreis,
  Shombergus in turmam haud merentem
    Et medios properavit ignes;
Quem nunc ademptum exercitus anxio
Luctu requirit, non ſine carmine
  Heroa laudante, & ſeveris
    Invidiam faciente fatis:
Fruſtra; Nec horæ, quas fuga temporis
Avexit, optant ferre pedem retro;
  Nec Mens ab exangui figura
    Lapſa ſemel remeare curat:
Non ſi medentes, unde poteſt, aquas
Docta miniſtret Ratlivius manu;
  Non ſi Drydenus invidendo
    Pulſet ebur geniale plectro.

Edv. Hannes, A. M.
ex Æde Chriſti & Prof. Chym.

Ex Hibernia Reditum.

FRigida vix cœlo noctis decefferat umbra,
Tympana quum pedites, equitum taratantara turmas
Excitat, inque armis aciem conſiſtere Mandat:
Nec mora, feſtinant, equites duo cornua complent:
Ordine tota acies ſtatque inter utrumque pedeſtris
Permiſta ignivomo Geſtans haſtilia ferro:
Quæque animos augere ſolent volitantia ſigna
Undique gyrantur, ſtat dux ante agmina prima:
Talis erat vultus quondam (mihi crede) Britannum
Romulidis priſco tam formidabilis æuo,
Dum fruſtra obnitens convolvitur hoſtis in undas.
Hos tandem alloquitur conſtanti pectore Princeps.
Dilecti comites, magni pia cura Tonantis,
Spes patriæ, populique ſalus quibus aurea cordi
Libertas & priſca fides; queis neſcia vinci
Virtus, atque animus telo preſtantior omni.
Ite per hoſtiles acies, ſtricto agmina ferro
Rumpite; cunctantem non mille pericula lethi
Me retrahent: noſtris modo cedat Hibernia telis,
Sentiet & pluſquam Titulo me Gallia Regem,
Herculeaſque ultra Statuemus ſigna Columnas.
Dixerat: it ſubito quum magnus magnus clamor ad aſtra
Quem cœlis iterant plaudenti voce Britanni,
Et Galli pariter longinquas fertur ad oras:
Gens trepidat, pavidique ruunt per compita cives
Ignari Gallis quæ ſidera dira pararent.
Cominus horrendis & jam concurritur armis:
Mitius irati commiſcent prælia tauri
Frontibus adverſis, mugituque aera complent:
Hoſtem ſi feriat modo, lætus quilibet ictum
Excipit, & pulchram quærit per vulnera mortem.
Emicat ante omnes longe at Naſſovius Heros,
Quem ſupra auratis volitat victoria pennis,
Par tantum ſimiliſque ſibi, ſibi ſufficit uni,
Perturbat, ſternitque viros pauloque recedas
Miles ait, ſoli ne ſit tibi gloria pugnæ.
Horrenda hic rerum facies, & mortis imago
Plurima, divulſum caput hic de volvitur, illic
Brachia cæſa natant, & paſſim corpora trunca
Stare loco neſcit ſpumantia fræna recuſans
Vulner læſus equus, Dominum proculcat & hoſtem;
Ipſeque Buvindus rubris it decolor undis,

Sanguineos

Sanguineos volvens irato gurgite fluctus.
Quin tandem Angliacis cedit Victoria turmis:
Hoſti corda labant, nec ſpem jam ponit in armis
Præſidium in pedibus quærens, inox ordine nullo
Pulverulenta fugæ rapide dat terga per agros:
Perſeqnitur Victor profugos, ac Enſe minaci
Imminet à tergo, fit ſtrages quanta virorum!
Poplite tum flexo, tenſiſque ad ſidera palmis
Rex pius effundit media inter funera grates.
Tum ſpumantis equi tergum conſcendit in altum,
Eminet arrectus ſonipes, pede pulſat & aſtra,
Hinnitus tollit, flammaſque è naribus efflat,
Mox pede compoſito greſſus glomerare ſuperbos
Cernitur, atque trium regnorum pondera ſentit.
Jamque ſequuturum promittunt cuncta triumphum.
Et nunc læta ſuum veneratur Hibernia Regem,
Anglia quem reducem votis ardentibus optat
Multa ſuper Regem rogitans, ſuper agmina multa:
Hæc inter, ventis ultro dat vela ſecundis
Angelico comitante choro: Neptunus ab alto
Dum caput attollens circumſpicit undique ponto
Ære rates gravidas, reboantes fluctibus arces
Obſtupet, & Celtæ lunata claſſe recedunt
Nec jam ferre queant præſentis Cæſaris ora
Dum recolunt animo manantem ſanguine dextram.
Et tandem jam Cæſar ades; Quæ gaudia genti?
Quis populi applauſus? collucent compita flammis,
Quemque adimit nox atra, diem dat læta juventus.
Nec cuiquam ſpectare tuos, Gulielme, triumphos
Ingratum eſt, niſi cui Ludovici grata trophæa.
Ipſaque jam tandem prodit Lancaſtria pectus
Cæſareum, Rex Vivat, ait, vivaſque precamur.
Unus amor populi, tremor hoſtis, Neſtoris annis
At placide elapſis, cœlis tua caſtra locentur.

Joh. Crabb, A. M. Coll. Exon. Soc.

Ex Hibernia Reditum.

AOnii cantus, & Dia poemata vatum,
Sublimes verſus, longo cum ſyrmate Muſæ:
Sunt dona Heroum, tantorum & munera Regum.
Dii ſuperi Heroas: ipſi fecere poetas
Heroes; tanta Authores ab origine ducti,
Qui toties jactant doctas Permeſſidos undas,
Et vanam multo vibrant in carmine Muſam;
Virgilium Æneas, Pelides fecit Homerum.
Sin divina homines fecere poemata Divos,
Et primi Heroes propriis à vatibus orti
Immortale ævum ſpirabant carmine ſacro.
Tu ſuper Exurgis pigmenta poetica ductor
Naſſovi, bellis major, quam carmine Phœbus:
Et faciat multum tibi ſcomma poeticus Heros
Ludicra Res vatum; veris bene notus in armis
Pelides noſter tu; non ego veſter Homerus.
Dic, age, Muſa virum quantum Naſſovia fælix
Edidit imperio natum, immenſiſque triumphis
Flectere quo mundi non dignior alter habenas
Sub Luna poſiti, quem ſæva armenta virorum
Incolvere animo varia, & diſcordia cœlo.
Ductorem Auriacum Deus omni finxerat arte;
In quo tandem annos poſt bis duo mille laborans
Plenius abſolvit genus humanum, atque opus ingens
Ædificandi hominis, qui rupto è Numine fragmen,
Et quæ ſigna Dei, ſunt plura in Cæſare noſtro.
Cui vis recta animi, eſt & non obliqua voluntas,
Qua fixit divina ſuam Clementia ſedem,
Ornatu niveo peramabilis; hanc Venus ulnis,
Altera complexa eſt geminis ſuper oſcula ponens
Juſtitia; hæc procerum eſt arx, & cuſtodia vulgi.
His ornamentis frons Regis amæna renidet,
Pacifico dum léne ſedent vernantia vultu.
Illius O! quantum mavortia Pectora poſſunt?
Cui ſtabile eſt animi robur, fixumque recuſat
Cedere turbinibus, per dura immobile bella;
Cor intus firmum, atque intus mens provida fervet.
Multa animo librat ſecuro, & Callidus horæ
Fit percontator rerum, Nec garrulus Idem.
Talis erat, Tantuſque Heros. -------
Hic qui Myrmidonas trans pontum vexit Achilles,

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Ingens Hiberno poſituros littore Caſtrum:
Advorſum hoſtiles ubi Cudunt fata cohortes.
Dum Britones, Dani, & Belgæ fatalia belli
Cuncta parant arma inſtructis ad funera dextris.
Stant tormenta ſuas deſpumatura ruinas;
Porrigit Ætneas circum cava machina fauces,
Quæ procul horrendas glandes eructat in auras
Verbera dans cœlo, & rapido ictu decutit hoſtem,
Proſternens ſubito ſylvam Armorumque virumque.
Mox agmen caſtris emergit, in ordine certo
Militiæ paſſu glomerans veſtigia campo.
Has acies inter Princeps aſperrimus armis
Majeſtate omni patuit ſub milite primo.
Ille oculos intendebat de monte ſagaces
Hibernas ultra fluctum explorare Phalanges;
Tempore quo regalem humerum rodebat inane
Fulmen,& hoc doluit,doctum à Jove parcere Regi.
Hoſte explorato ſubita ira incanduit Heros,
Proclivi in pugnas genio, ad certamina nato.
Hoſti opportunus martem disjunxerat amnis,
Et fato obſtiterat lati celer unda fluenti.
Impatiens otii Princeps jubet ire per undas;
Itur; & Hiberno fluctu non ultimus ibat
Naſſovus; prima pugna Concurritur amne.
Flumen & Hibernos (hoſtem minus amne timendum)
Aggreſſi pedites, madidi juxta oſcula Lymphis.
Sed vel ad huc pugnant, atque hoſti fata miniſtrant.
Multa bibuntque ſpuuntque nec ipſis ceditur undis,
Plura emergebant fluctu tela hoſtibus hoſtes,
Vulnera quæ imponunt; velut & ſua vulnera dextræ
Piſcanti ad ripas dant ſpinæ piſcis acutæ.
Cæditur interea media inter flumina miles
Plurimus, & ſuper hæc fragmenta humana feruntur.
Hinc proram alterius ſectam ploremus in undis,
Alterius puppem, membra una ducere gyros.
Sic poſt Naumachiam Cycnorum, multa per amnem
Pluma avium vehitur, circumque rotata fluentum.
Noverat hæc flumen -- tandem è Luctantibus undis
Aſcendit miles trux, ut Neptunus ab imo
Æquore, ſquamoſo capite atque à crinibus udis
Undam agitans, contra Trojam ducturus Achivos:
Surgit: & in ſolido rurſus fortuna locavit.

Jamque

Ex Hibernia Reditum.

Jamque novus vigor urget arena & littore ſtantes
Armatos hominum dumos, nodoſque Phalangum
Arctius implexos per mutua prælia campo;
Et Commiſſa ardent duplicato tela furore.
Fata vomit ſtragemque emiſſis glandibus ingens
Tormentum, dirum minitans mortalibus orcum.
Multa jacent hinc inde Cadavera, multa ſeveri
Militis Exanguis moles ſub vulnere torpet.
Ah! dicam Auguſti Herois lacrymabile funus?
Schombergi ingentem lapſum? qui verbere ferri
Sub Crebro ſtetit immotus, Dux neſcius armis,
Hibernis vinci ſtetit omni firmior ulmo
Cui multus robur dedit annus Culmine montis.
Hunc tandem excepit vaga glans, non conſcia damni
Tranſacti, horrendiſque Heroem mox obruit umbris.
Sic canus Ductor tuus hic Patroclus Achilles,
Victima Diis imis cadit, hoſtia nobilis orco.
Mentis erat vafro molimine preſſus Ulyſſes,
Conſilio Neſtor; (longum ô ſi Neſtoris ævum
Dii dederant:) illo non marte ferocior Aiax.
Surge, tuas renovato iras; & fata Patrocli
Omnia in Hibernos, Rex, ingeminata ferantur.
Hæſit Mars dubius lapſo inter vulnera tanto
Ductore; expectat veſtram victoria Dextram
Dive Heros! neque enim ſacro par quiſque triumpho,
Non pueris datur, ignavæ aut victoria palmæ;
Pendula per ſuperas non hæc Dea fluctuat auras,
Pollice ducenda imbelli, filoque trahenda.
Ut tremula impendet cœlo, caudamque volutat
Nodoſæ Chartæ pueris ſimulata volucris,
Quam læti extento ducunt ſuper Æthera filo.
Jam belli facies renovatur, & undique turmis
Omni ventorum rabie concurritur; Heros
Auriacus ſævis qui nunquam lentus in armis,
Ibat fronte novum fundens per cuncta vigorem
Agmina, neve illis mavortia defuit Ira;
Ille accendebat præſenti numine martem,
Qui rabidus toto flagrabat in æquore Campi.
Hinc capita, & dextræ, divulſaque viſcera terras
Occultant fœdantque, illinc & mille racemi
Arboris humanæ, quæ in tot diſtenditur artus.
Poſt has pugnandi furias, bellique labores.

Cum

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Cum pæne Hiberna ſaturati cæde Britanni,
Per ſpatia arvorum totus diffunditur hoſtis,
Et diverſa petit loca Campi ſparſius agmen,
una Cohors ortum, occaſum ruit altera verſus.
Ut ſuper incudem ſublimi verbere ferro
Percuſſo, ſcintilla volat multa inde coacta,
Spargens ſe fabricam vultu rubicunda per omnem.
Jam ſpatia Hiberna in veſtrum patuere triumphum
Dive Heros! omnis ſub Te victore renidet
Dulcis ager, volucres, piſces, pecora omnia rident,
Totaque feſtivas ducit Natura Choreas.
Hæc memoro ut famæ certa argumenta futuræ,
Latius invenies quam poſthac (Dive:) patentem;
Hinc tibi majoris ſunt ſola Crepuſcula plauſus;
Hinc tibi venturi ſolum eſt Aurora triumphi.

Bonſidius Trimnell, A. M. Nov. Coll. Soc.

Nil opus, ut cantet facunda Britannia verſus,
Heros namque omni carmine major adeſt.
At memini tentando, Jovem celebraſſe Poetas,
Paucula cum poterant dicere digna Jove.
Noſtra pari faſtu gracilis modulatur avena,
Imbelles humeros dum premit impar onus.
Vivit, & ô quanto fatorum munere, vicit!
Vicit, & ò fato candidiore redit!
Æquora Neptunum norunt, & Littora Martem,
Nec polus (ah ſero!) neſciet eſſe Jovem.
Mox ſenſura novas, jam ſenſit Gallia vires;
Vinci optat tantis Gallia preſſa malis.
Fata viam pandunt, mihi præſcia Muſa futuri
Talia veridico mandat ab ore cani.
Cedit Hiberna palus, & veſtri Gallia campi
Cedunt, nec ficca morte Tyrannus obit.
Miranturque ſuam Turcæ palleſcere Lunam,
Et rubet Angliaco Roma ſubacta jugo.

Elizæus Burges Com. ex Aula S. Edmundi.

Ex Hibernia Reditum.

PLaudite vos læti Britones; ſecludite curas:
Soſpes adeſt, hilareſque jubet decurrere ſoles
Wilhelmus; redeunt pariter plaudentibus alis
Fama ingens, lœtiſque favens Fortuna Britannis:
Victa Triumphales comitatur Hibernia Currus.
Quæ dudum Angliacos feralis Turba per agros
Ibat Ovans, fundoſque ſibi promiſit & urbes
Victa ſuis terris, Wilhelmi procidit armis,
Captaque nunc verſis luget propria Oppida fatis.
Jamque redis, Rex Magne, feris erepte periclis
Per quæ protraxit tua Te nimis ardua virtus;
Gratantur reditum Proceres, plebs exuta campis
Circumfuſa ruit, plauſuque accingit euntem.
Currit in amplexus Regina, atque oſcula figens
Accipe, ait, meritam tibi ſoli, Invicte, Corollam
Accipe fœmineo non par Diadema lacerto:
Aſt Ego, per tantos motus, quod Fœmina poſſit
Imbelliſque manus, feci; Tu ſolus habenis
Angliacis par Rector ades; ſic fata, reſignat
Illa libens charo ſolium & ſua ſceptra Marito.

Ambr. Phillips, Equit. Aur. Fil. Nat. Max.
Coll. Mert. Gen. Com.

JAm ſatis, O Belloque datum, martiſque furori:
Jam Rex magne tuo gaudet Ierna Jugo.
Audiit Interea victorem invita Wilhelmum
Gallia, & auſpiciis capta trophæa tuis;
Audiit, & fruſtra indoluit ſucceſſibus iſtis:
Spes tamen in ſtructis navibus, inquit, erit
Sed mare numen habet; fruſtra ſpem ponis in undis:
Ludibrium debes te Lodovice notis.
Quam magnos dederit tellus Male -- ſane triumphos,
Credito, tam magnos & maris unda dabit.
Quin tu cum pulchra tandem requieſce Maria
Atque frui parta pace Wilhelme velis.
Ne jam vincendos ultra tibi Quære Gigantas
Sat nunc centimanum fregeris ipſe genus.
Non iſtis nos ominibus Wilhelme caremus;
Te tua geſta prius conſtituere Jovem.

Franc. Drewe, C. C. C. Superioris Ordinis Comm.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

PEne ſub imperio gelidam Jacobus Iernen
Miſerat, & noſtras fuerat venturus ad oras,
Cum Fredericus adhuc impar nec viribus æquis
Prima manu auſus erat tentare pericula belli.
Ille Urbes iterum dextra victrice redemit
Caſtraque multa ſagax prima ſub origine belli;
At ferrum lethale & crudeliſſima peſtis
Injecere moras Frederico; exinde morarum
Illius impatiens Tu Te, Gulielme, fateri,
Anglorum dignatus eras comitemque ducemque.
Prima fere impoſuere gravi certamina finem
Militiæ, quibus ignavi vertuntur Hiberni
In turpem Gallique fugam; ô ſi miſta tumultu
Agmina vidiſſem; & late medio arma Boando
Jactantes, Teque exhortantem voce Britannos!
Ut facta hæc olim forſan meminiſſe juvaret!
Per campos crebræ glandes utrinque volabant;
Una tuos humeros infecit ſanguine, fervens
Dum nimis urgebas acies; ſed vulnera poſtquam
Chirurgus fida mulſiſſet hiantia dextra,
Surgis equo ardenti rurſus, miſceſque catervas.
Juverni tremuere Duces, Te urgente Britannos,
Juverni, quos jampridem exercere ſolebant
Æternis odiis Angli: Tibi nempe tulerunt
Vanum, Jacobe, auxilium; nam bella finiſtro
Omine geſſerunt in utroque nefaria regno.
At cum læta tuas acies huc uſque ſecuta eſt
Cum laude ingenti Victoria, perge, Wilhelme,
Indomitoſque doma Gallos; cumque arma reportet
Et ſpolia ampla domum ſua præmia miles ab hoſte,
Pace iterum triplicis Regni modereris habenas.

Johannes Toke, Equitis Aurati Filius
Coll. Trin. Sup. Ordin. Comm.

QUis primos dicat congreſſus, gaudia, amores,
Quis Wilhelme tuos, quiſve Maria tuos?
En ut uterque avidis utrumque amplectitur ulnis,
Et mille accipiens oſcula, mille dedit!
Præcipue Regina Virum gratata reverſum eſt,
Præcipue certat vincere amore pio.

Exuit

Ex Hibernia Reditum.

Exuit ut reduci clypeum, galeamque reſolvit,
  Accipit inque ſinu pectora laſſa ſuo?
Cervici charæ, gremioque infuſa jacebat,
  Et fatur placido talia verba ſono.
"Heu quam ego deſerto jacui male frigida lecto,
  "Queſta fui ut tardos ire relicta dies!
"Utque meis oculis Tua ſemper inhæſit imago!
  "Te mihi præſentem noxque dieſque refert.
Hæc fata amplexa eſt; dein facta requirere cœpit,
  Et tam felici bella peracta manu.
Præcipue de Patre ſuo, valet ille? rogabat,
  Qua parte ah! vitam victus & exul agit!
Et dicit lacrymans, heu quæ dementia cepit!
  Heu qui fatalis miſit in arma furor!
Dein totam poſcit narrare ex ordine pugnam,
  Qua ſua bellarunt agmina, quaque Patris.
Interjecta ipſi peperit quos unda labores,
  Ut debellato Victor ab hoſte redit.
Hæc dum quæſivit, narrat ſua facta viciſſim:
  Quam bene fæmineæ ſceptra vibrare manus.
Singula dumque refert reduci ſua geſta, mariti
  Solius factis facta minora refert.

Johannes Briſcoe, Eq. Aur. Filius,
& C. C. C. Sup. Ord. Comm.

In Vulnus Regis.

QUalis erat Phrygiis cum Mars erraret in arvis
  Tydidæ paſſus vulnera facta manu.
Talis Iernæis fervet Gulielmus in armis,
  Vulnere ſanguineus, Marte nec ipſe minor.
Ut ſtat, ut immoto vultu ſua vulnera ridet!
  Hunc ſpectare putes vulnera, nulla pati.
Stant perculſi omnes tantæ terrore ruinæ,
  Intremuere omnes, nec tamen ipſe tremit.
Parce, ô parce Heros tot adire pericula, dudum,
  Heu nimis illuſtri ſanguine terra madet.
Non partæ veſtro delectant ſanguine Laurus,
  Vix tanti nobis ipſe triumphus erit.

Herbert Rudall Weſtphaling,
Sup. Ord. Comm. Ex Aula Magd.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

CUr nuper ſtantem peregrinam in littore claſſem
Vidimus Angliaco? cur dantem jura Profundo?
Ecce, aberat pelagi Dominus; Martemque Britannum
Fama erat occiduas oras petiiſſe Catervis;
Audaces ubi ſæva movet Juverna tumultus.
Illic libertas armis oppreſſa nefandis;
Et tam cæde gravi graſſata eſt turma rebellis,
Ut vacuæ ſteterint urbes, nuda arva Colono:
Donec Magne Tibi Princeps ſuccurrere genti
Everſæ placuit, victrici & vincere dextra;
(Dextra, quam toties Galli ſenſere cohortes.)
Namque ubi Te Iernus fulgentem vidit in armis,
Audiit & fidas animantem voce Phalanges;
Contremuit, fugitque ad, cognita Aſyla, Paludes.
Haud aliter quondam Marianæ fulmina frontis
Pertimidus fugit Scyllæ fatique ſatelles.
Perge Heros ideo: nam ſi mihi Numina nota
Plura trophæa dabunt, Tibi ſerviet Ultima Thule.
Auriacis Britonum virtus ſuffulta columnis,
Et terræ pelagoque valet ſua ponere jura.

Geo. Tempeſt Baronetti fil. unicus è Coll. Univ.

INclyte ſalve Heros, has qui redimitus ad oras
Frondenti lauro victor ab hoſte redis.
Indomitus bello fulgentibus acer in armis
Territa cui facilem pandit Ierna viam.
Curia te poſcit, votis petit Anglia tota,
Exanimat cives cura dolorque Tui.
Ut cum fulgentem ſubducunt nubila ſolem,
Et tenebræ obſcurant æthera nocte gravi.
Mox nebulas cæleſte jubar diſpellit aquoſas
Et Sol æthereo clarus ab axe micat.
Sic quoque ſemoto gaudet gens Anglica luctu
Atque ſuo ſtatuit clara trophæa duci.
Implicat & laurus ſeſe, ut tua tempora cingat
Cum tu felici numine victor ades.
Floribus Autumno revireſcunt prata tenellis
Nata tibi reduci condecorare viam.

Tobyas Chauncy, è Coll. Cor. Chriſ. Sup. Ord. Comm.

Ex Hibernia Reditum.

QUis Gulielme, tuos deſcribat rite triumphos?
Non Maro, Mæonides non ſatis unus erit:
Quid primum, quid poſt fabor? me copia rerum,
Et noſtro majus carmine terret opus.
Grande Tuum loquitur ſervata Britannia nomen,
Et nomen poſthac diſcet Ierna loqui.
Qua Sinnena fluit, qua lenta Boanda vagatur,
Jam pugnis, Cæſar, nota Boanda tuis.
Talia non Simois conſpexit prælia quondam,
Nec tu per ripas, Xanthe cruente, tuas.
Quamvis ſæpe armis illic Criſtatus Achilles
Sæviit, & multo ſanguine tinxit aquas.
Heu! perit ignota Schombergus ſaucius haſta;
Et premit heu! gelidam ſanguinolentus humum.
At non talis erat quondam, cum lætus in armis
Sanguineo Auſtriacum contudit enſe ducem.
Mænapii ô! Caucique paludicolæque Brigantes,
Vos ferte ad tumulum lilia, ferte roſas.
Pro vobis jacet Ille, jacet Fortiſſimus Heros;
Heu! ſemper miſeris ille Camillus erat.
Quid gaudes? Cæſar pœnas, Lodoice, repoſcet,
Anglicaque ad Ligerim transferet arma tuum.
Illum iterum horrebit Rhodanus, veloxque Garumna,
Atque iterum tinctas cæde videbit aquas.
Heu! video, ſævis jam nunc concurritur armis,
Excitat Angliacos Gloria priſca duces.
Vix fugiunt Galli, multoque cadavere campus
Spargitur, & multo ſanguine ſpumat Arar.
Sæpe revolve animo captum, Lodoice, Johannem,
Te dudum expectat Windſoriana Domus.

Tho. Knight, Arm. Fil. è Coll. Un. Sup. Ord. Comm.

IMbelli calamo, & ſpiranti parva camænæ,
Et menti inſuetæ nubes atque ardua pennis
Mæoniis petere, ingentem tua facta laborem
Imponunt, Wilhelme, labor famæ. Ut mihi certus
Concuteret pavor oſſa, animumque averteret auſo
Non tales humeros poſcenti; ni ferat ipſa
Materies ſpem grandem ultro, & præcordia lenta
Accendat majore dea, genioque recenti!

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

O ubi, quæ Leydam incolitis monteſque Batavos,
O ubi, quæ ſedem Eblanam & melioris Iernes
Delubra eligitis, Muſæ, intexetis amicam
Naſſovio capiti laurum, & victricibus armis?
Tu magis, Eblana; ejecto nuper genere omni
Fucorum, quod ventre ignavum & turpe cucullo
Intrarat ſacra hoſpitia, atque inſederat almam
Artibus, & Dominis natam potioribus Arcem.
Quantum Argumentum Boyandæ miſta cruori
Unda dabit, clypeoſque leves, & Gallica ſigna,
Semineceſque artus mutato flumine volvens?
Haud partem exiguam ſtragis Wilhelmus honeſtis
Impulſus furiis, & juſto fervidus æſtro
Dividit, ultura certe ſua vulnera dextra.
Illum centenis pedibus penniſque citatis
Ante volat Formido, & plurima mortis imago;
Inſequitur repetens Proavorum ex ordine longo
Naſſoviæque domus laudes, & mille trophæa,
Fama memor, nec abeſt Victoria conſcia laudum,
Et Pax, & rugis caſſo Clementia vultu.
At quid ab adverſa pugnantes parte cohortes
Angliacas cerno, & pingui ſocia agmina Hiberno,
Atque Britannorum vexilla infeſta Britannis?
Quis vos immemores patriæ Magnique Georgi,
O Cives, furor egit, ut omnem Gentis amorem
Nativæ, & dulces cognatos, & genus unum
Obliti, Dominum Ludoicum inhoneſtaque penſa
Quæratis, mixti & pavido incedatis Hiberno?
Interea vobis gremium Wilhelmus apertum
Oſtendit, culpamque virum cauſamque miſertus.
O ingens, Wilhelme! ô debellare ſuperbos
Marte potens! ò ſponte jacentem lenis in hoſtem!
Tu veteres Dryadas, ſuſpectaque dicta ſagacis
Merlini abſolvis princeps: Merlinus, & illæ
Multa reliquerunt abſtruſo oracula ſenſu,
Quæ circum caligo & nox involverat atra,
Nunc clarum ſenſere diem: Talemque Tyrannis
Ultorem, talem Heroem, qui extenderet Anglis
Imperium longe, & gentem pacaret Hibernam,
In ſanctis foliis credenti oſtendimus orbi.

Sam. Lennard, è Coll. Trin. Baronetti fil. Nat. Max.

Ex Hibernia Reditum.

Θοῦρος ὁ μὲν Κίρκος κατ' Ιβέρνους πρῶτος ἄϊξεν,
Ιφι φρυαξάντων λύσσαν χαλίνωσέ δε λαῶν.
Δεύτερος ἀσφύκτοις δε τρόμον Σχωμβῆργος ἐφῆκεν.
Καὶ τούτους μόγις, αὐτὰρ ὅμως ὑπέμειναν Ιβερνοι.
Ιφθιμος δ' ὡς ἧκεν Αναξ ἀνδρῶν Γυλίελμος
Κύμασιν ἱππεύων ποταμοῦ, καὶ βράσμασι πόντου,
Ιφθιμος δ' ὡς ἧκε στράτου παντόλμου ἀνάσσων,
Εἰς πόλιας χλωροὶ φεύγουσ' ἀκμῆτας Ιβερνοι·
Εἰς πόλιας πόδας ὠκὺς Αναξ αὐτούς δε διώκει·
Οὐκ οἴος, δ' ἅμα τῷ κρατεραί τε φάλαγγες ἕποντο,
Ανδρες ἐύτοξοι σφαιρῶν πυρὸς αἰθομένοιο.
Ταῦτα μὲν οὐκ ἀνέχειν ἱκανοὶ πηλῆες Ιβερνοι,
Οὐδ' ἄρα τοὶ τέρενες Γάλλοι κομόωντες ἀρωγοί.
Μῆνις Ανακτος ἔην φοβερὸν, περίβωτον ἄρ' αὐτοῦ
Εἰς ἔλεος καταφεύγοντες λύτρον ὡμολόγησαν.
Ως ἄρα γουνυπέτησαν, αἴ, αἴ βοάοντες Ιβερνοι,
Αι ζωγρεῖτ', Αγγλοὶ· κράξαν ζωγρεῖτέ τε Γάλλοι.
Εἶπε δ' Αναξ Ζωγρεῖτε. χάρις μου τοῖσι μὲν ἀρκεῖ.
Ως νικῶν ἐλεῶντ' ἀνανείσεται ἐκ πολέμοιο,
Μὰ Δία, οὐ μείζων ἢ Μιλτιάδης ἀπὸ Λήμνου,
Η ἀπὸ Κορκύρας * Νεοκλείδης νεῦσεν ἀγαυός.
Καὶ σὺ γὰρ, ὦ Γυλιέλμε, μέγιστ', εἰς πατρίδ' ἐνέγκεις
Νίκην, ἡσυχίην, ὑγίειαν, γηθοσύνην τε.
Ανδράσιν Ειρήνην, Δόξαν μακάρεσσι Θεοῖσιν.

* Θεμιστοκλῆς Νεοκλέος παῖς.

Λιμρείκου τείχη Γυλίελμος ἀνάβατα ῥέξε,
Κλεῖε Παρισείων ὦ Λυδοῦκε πύλας.
Νῆσοι, καὶ Πόντος δέδμανθ' ὑπὸ τοῦ Γυλιέλμου,
Εστί δε νῦν λοιπὰ σὴν ποτὶ γαῖαν ὁδός.

Jo. Meddens, A. M. è Coll. Ex.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

DIſſipat obſcuras Phœbus tellure tenebras,
Et Phœbe propria luce per aſtra micat.
Jam ſaltem minima contenti nocte Britanni,
Dum radiant noſtro lumina tanta polo.
Illa diu læto felix effulgeat Orbi:
Et ſero terris Occidat Ille ſuis.

Joh. Glynne, D. *Gulielmi Glynne*,
Baronetti Filius, Ex Aula S. Edmundi.

DUm premis audaces, Rex magne, interritus hoſtes,
Et rapido hinc curru Victor & inde redis:
Sulphura dum tali, vibrataque fulmina dextra
Spargis; non alium credimus eſſe Jovem.

Johan. Curzon, Baronetti Fil. Nat. Max. è Coll. Trin.

QUod volat expanſis, Cæſar, victoria pennis,
Non Laus virtuti ſufficit illa Tuæ.
Non tibi Juvernos ſatis eſt ſuperaſſe rebelles;
Nec Gallos veſtro ſuccubuiſſe jugo;
Pax niſi læta domi, reſerataque limina Janus
Claudat, & auſpiciis tuta Maria tuis.
Hi duo Ledæum ſidus; dum nuper ab Orbe
Hic fugit, alternas præſtitit illa vices.
Conjuge Rex Fœlix, Fœlix Regina Marito;
Illa domi victrix, victor & ille foris.

Geo. Fleming, D. Dan. *Fleming*,
Equitis Aur. Fil. ex aula S. Edm.

ANgligenis tandem Divi ſua vota dedere;
Hiberno Auriacus Victor ab orbe redit.
Jam referent omnes læti (Mirabile dictu)
Quod tria ſceptra tibi tertia bruma dedit.
Si ferro ſubigas, Cæſar, tot regna quotannis;
Victrici Dextræ non ſatis orbis erit.

Joh. Moor, Equit. Aur. Fil.
Primi Ord. Comm. è Coll. Trin.

Ex Hibernia Reditum.

ACcurrit Phœbo Pythonis ſtrage ſuperbo
Pieridum, Divi cura, Novena cohors.
Hæc gravia arma levare, hæc nectere ſerta Capillis,
Hæc media inſignem Cæde referre Deum.
Clade redux multa, atque humeris ſpolia ampla reportans,
Provocat Aonias alter Apollo lyras.
Alter ſuccubuit multo ictus vulnere Python,
Nec trepidam prolem texit avita palus.
Hic virides Muſæ palmas, hic carpite lauros,
Ambiat auguſtas multa corolla comas.
Nec deſit Carmen, ſed qua licet, ora Britanni
Exprimat Aonidum parva tabella, Ducis.
Nec tu Muſarum Rex dedignare labores,
Si minor Archetypo langueat Umbra ſuo.
Ardua Res! auſit mortales ponere vultus
Dextera, pingendo non ſatis æqua Deo.

Geo. Dixon, Arm. fil. A. B. ex Æde Chriſti & Sup. Ord. Com.

Maria Gulielmo.

O! Si vota Tuæ valeant, Gulielme, Mariæ,
Anglorum aut poſſint vota valere, redi.
Ne Te detineant laceri mala fragmina belli,
Et Juverna armis quæ prope victa Tuis.
Sanguinei recolo ſi forte pericla Boandi,
Heu! Miſeræ, reditus ſpes mihi nulla manet.
Cur ruis in medios hoſtes? cur primus in armis?
Debueras ſaltem Conjugis eſſe memor.
Te doceat Lodoix, ſit fas & ab hoſte doceri,
Non unquam vitæ prodigus ille ſuæ.
Cum Te per turmas generoſior impulit ardor,
Quid mihi tunc animi? quid mihi mentis erat?
Me feriunt Gallorum enſes, me miſſile plumbum,
Vulnera cum Tua ſint, eſt meus inde dolor.
Ergo redi, inſueti Martis me cura fatigat,
Quæque Tuas poterant ſceptra decere manus.
Sed valuere preces; rediit: gaudete, Britanni,
Et renovet plauſus Anglia læta ſuos.
Quæ, Britones, quæ me pertentant gaudia? vitam
Una dies vobis, & dedit una mihi.

Robertus Hesketh, Arm. ex Æde Chriſti Sup. Ord. Com.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

NObilis anguſtæ rumpit confinia mentis
Lætitia; humanoſque meo de pectore ſenſus
Excuſſit celebranda dies, quæ gentibus olim
Depoſitum dederit ſacrum & cœleſte Britannis:
Wilhelmum & multa redimitum tempora lauro
Rettulit incolumem, & regni ſervavit honorem.
Evohe Bacche ſona! victo Dux magnus ab hoſte
Improviſus adeſt, ſpoliiſque inſignis opimis,
Pacatas revehit poſt aſpera prælia luces.
Nec mora nec requies; huc illuc vindice dextra
Advolat impavidus: per ſumma pericula præceps
Wilhelmus fata exercet, victorque per omnes
Eluctans caſus, animus ſupereminet omnes.
Qualis Idumæos notiſſima palma per agros
Ponderibus depreſſa, caput molitur in altum,
Sidereoſque urget propiori vertice cœlos.
Pergit adhuc, gladioſque rotat, vexillaque ad auras
Explicat, & volucri Domitor freta claſſe pererrat.
Cernitis ut pictas juſto ferat ordine puppes
Ponti viva quies: puppes ſuperemicat omnes
Wilhelmi procera ratis; (non æqua micaret
Gloria, ſi ſtellata polo deſcenderet Argo.)
Inſolitoque gemunt preſſi ſub pondere fluctus:
Omnis in obſequim propere mox turba marina
Neptuno præeunte ruunt, Regemque ſalutant.
Jam redit ad proprios bellatrix turba Penates,
Membra domum referens mutilata, & vulnere tarda;
Ut juvat abſciſſos artus, laceramque tueri
Anglorum turbam; quam belli Dædalus enſis
In melius limavit opus, vaſtæque rudique
Membrorum moli concidit inutile pondus.
Hunc luſcum cernas, oculoque ſuperſtite lætum
Optatos rediiſſe dies: Hic poplite cæſo
Conjugis in gremium ſerpit, fractoque lacerto
Amplexus vixdum perfecti gaudia tentat.
Sic quiſque emeritus tandem, quæcunque ſuperſunt
Membra fovet, triſtis quod non in tanta trophæa
Fortior exultat, totuſque hac pace fruatur.

Ric. Reynell, Equ. & Baron. fil.
nat. max. è Col. Magd. Sup. ord. Com.

Ex Hibernia Reditum.

CÆſareæ nondum Mavors dedit otia dextræ,
Nec terret virtus toties ſpectata rebelles.
Poſt inſtauratos Belgas, ſolidoque locatas
Res Britonum, atque Heroi indultos Regis honores,
Juverni frænum excutiunt & ad arma laceſſunt.
Progenies ranis cognata, emerſa paludum
Illuvie Peſtis; Qualem nec faucibus atris
Evomuit Lerna olim, informem ubi torridus igni
Infeſto coxit limum, & propiore paludes
Sol totas radio numeroſam animavit in Hydram
Rex tandem ingreditur campum, latera undique ſtipat
Fida manus, Marti bene nota, hinc Georgius armis
Exultans, animum ingentem in prælia ducens·
Quo domuit Suecum, hinc multum dilecta Minervæ
Ormondi virtus, duplici quem prodiga ſerto
Ornavit, belliſque præeſſe, ſuiſque Camænis
Juſſit Diva: Ipſe ante alios Rex horridus armis
Bella fremit dubiamque ardet committere pugnam.
Sic ubi Terrigenæ obſederunt limina cœli;
Turba Jovem cinxit Divorum, hinc arduus haſta
Roborea frendet Mavors, hinc pulcher Apollo
Exutus cithara, valido nodoſa lacerto
Tela quatit; Pater ante alios fatalia librat
Fulmina, præcipiteſque alto deturbat Olympo.
Quid trepidi Vicinæ, objectum flumen, Hiberni
Pretendunt morti? quid grandine deſuper urgent
Telorum, ignitiſque globis Heroa ruentem
Ad pugnam? illæſus flammarum provocat iras
Et fluctum ingenti propellens pectore, ripis
Adverſis ſe fiſtit, iners dat terga ſequenti
Juvernus, notoque paludis conditur alveo
Sic olim Æacides turbata per æquora Xanthi
Stravit Dardanidas, adverſo ex aggere Troes
Crebris proturbant telis, iratus ob undam
Commotam Xanthus ciet imo Spumeus amnem
Fundo, contra ille obniſus per tela per undas
Urget iter, fugiunt venientem ad littora Teucri,
Et credunt ſe urbi & fultis multo obice clauſtris.
O Britonum dux non indigne! o ordine longo
Miſſa ducum proles nec avorum degener hæres?
Ut plaudit redeunti, ut feſtine agmine denſo
Currit tutelæ gens gratatura receptæ!

Ante

In Exoptatum Serineſſime Regis

Ante alios Maria novis etiam ipſa trophæis
Clara venit, palmas calathis olim illa Minervæ
Formoſas aſſueta, trabalem Palladis haſtam
Geſtavit nuper, traxitque in bella feroces
Anglos, implevitque vices armata Mariti.
Te Reducem, Gulielme, recenti cingere palma
Gaudet læta, lubenſque ſuos tibi tradit honores,
Optatos ſponſi, longæ ſibi præmia curæ,
Amplexus habet, & fuſis hinc inde lacertis
Atroces animos, & corda ferocia mulcet.
Infert ingenti ſe Auguſta Britannia Pompæ
Et grates Domino, Statorem faſſa, rependit.
Quantum ſe oſtentat per Hibernos aggere multo
Congeſtos gradiens, fuſoſque in pulvere Gallos!
Ut gaudet grandæva potenti ſepta ſuorum
Præſidio: Arthurique agnoſcit læta nepotes!
Antiquas frontem circa ſe fundere palmas
Miratur, patriaſque comis aſſueſcere lauros;
Sepoſitam rurſus frameam defuetaque ſceptra
Quaſſat ovans, multoque graves diademate crines
Attollit, celſaſque ſuperbo in vertice turres.
Succedit tandem Matri longo ordine Proles,
Primates, Plebiſque Patres, gazamque recludunt
Defoſſam, & majora urgent ad bella volentem.
Jam tremit inſtantem Lodoix, jam Gallia dextram
Horret ſublatam, notaſque ad prælia vires.
Jam plorat præſaga inhoneſtos vertice lauros
Raptas, Brutigenumque Ararim nova vincula paſſum.
Dii Britonum Indigetes, præſentia ſidera rebus
Angliacis, veſtrum eſt tutari Heroa Britanni
Nominis ultorem, ſeu vindex compede multa
Conſtringat Rhodanum, Anglorum ſeu proferat ultro
Famam, ſuccurat Germano, Aſiæque per urbes
Victor ovet, legeſque volenti imponat Eoo;
Per fractos properet cuneos impune, pererret
Illæſus telorum imbres, flammaſque ſequaces
Cognatus Divis, & mox numerandus in illis.

Gul. Stratford, Rev. D. Epiſ.
Ceſtr. fil. & Ædis Chriſti. Alumnus.

Ex Hibernia Reditum.

NAſſovii laudes tentas mea Muſa referre
Principis? haud equidem carmina clauda valent.
Naſſoviæ gentis laurus hic poſſidet omnes
Genti majores addit & ille ſuas.
Stent illæ Belgis: Hic noſtrum vindicat orbem,
Quælibet & ſentit terra Britanna deum.
Anglia quæ dubiis dudum fluitavit in undis,
Divino & veſtro numine fixa manet.
Scotia quam cœli nunquam potuere rebellis,
Vincere, nec potuit vincere vera fides:
Veſtræ ſubmiſit dextræ, te ſoſpite nunquam
Excludat poſthac Arctica terra Jovem.
Quas quoque fautrices oblatas reſpuit, iſtas
Victrices tandem ſentit Jerna manus
Perge reformatis qui ſolus, ferre ſalutem,
Poſſis, & abreptis numina redde locis.

Ad Reginam.

Diva potens noſtras vigilas quæ numine terras,
Noſtras & gratas accipe Diva preces.
Hoſtiles gentes vincunt tua fulmina, veſtras
Vincit amor: quid non fulmine junctus amor?
Flammabant cœli minitantia fulgura, tantum
Ut monſtrent faciles te dare poſſe deos.
Ripas quas Thameſis criſpatis alluit undis
Gallia clam ſtructa, perfida, claſſe petit,
Attigit, audita at magnam regnare Mariam
Retro ſuum properat per mare claſſis iter.
Quid valeant Galli? ſternunt duo numina Gallos:
Ipſe foras Mavors, tuque Maria domi.

Gualt. Roberts A. M. Coll. Jeſ. Soc.

CUM peteret ſævis ſociatus Gallus Hibernis
Ardens, exitium, Terra Britanna, tuum:
Contudit Hibernos Wilhelmi Læva rebelles;
Et dextra cecidit Gallia victa manu.
Alcides colubros geminos ſic perculit infans;
In cunis meritus Victor ovare ſuis.
Credimus: Infantis ſitque hujus gloria major:
Hic fecit puero mira: ſed Ille Viro.

Edv. Pollen ex Aul. Nov. Hoſ. ſup. Ordin. Commen.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

QUalis ubi victus Romanis Barbarus armis
ſubdit inexperto libera colla jugo,
Protenus ignotæ ſurgunt felicius Artes,
Et ſua militiæ præmia victus habet.
Talis ad incultos Gulielme accedis Hybernos:
Tali Marte furens aſpera colla domas.
Sincera pietate nitent & ſimplice cultu;
Dediſcit patrios quælibet Ara Deos.
Dum Tua captivæ prodeſt Victoria Genti,
Credibile eſt Illam ſic voluiſſe capi.

Ed. Montague Arm. ex Æde Chriſti Super Ord. Comm.

VIciſti, Gulielme, Tuos En! Boyna Triumphos
Infremit, attonitique ſuperba per æquora fluctus,
Evolvunt Regis famam, gentiſque ſalutem
Angliacæ: Interea properans urgentibus undis
Oceanus Rheni referebat ad oſtia fuſos
Hybernos, victique ſimul fracta agmina Galli;
Audiat hoc Ludovica acies, atque audiat Ipſe
Delphinus (ſiquid valeant Tua murmura Dive
O Neptune) ipſoque ſono concuſſa peribunt;
Expectentque eadem diri prælagia fati.
Sic tandem Auguſtas, tua Gallia, ſentiat Iras.
Agnoſcatque Tuas vires Ludovicus; & arma
Victoris narret, pluſquam tria Regna mereri.

Rob. Brodrep è Coll. Linc. Sup. Ord. Commenſ.

Ad Reginam.

O Cujus Britonum ſolo ſub numine tellus
Tuta ſtetit, patriæ ſpeſque decuſque tuæ!
Ecce fremit magno circum tibi regia plauſu,
Et ſolvunt grates plebs procereſque ſuas.
At tibi laurigeros deſignat Pallas honores,
Per Te Cecropias cingit oliva comas.
Muſa, precor ſacris ſit digna penatibus hoſpes,
Regaleſque inter ſerpat Apollo dapes.
Sæpe tuas gemitus Bovindæ mulceat aures,
Non jam ſolliciti cauſa timoris erit.
Hic ſecura potes Martis ſpectare ruinas,
Non iterum verſis Gallia pugnat equis.

Hæc

Ex Hibernia Reditum.

Hæc inter veſtros juvet evolviſſe triumphos,
O pulchra, ô ſemper digna trophæa legi!
Non ſolum in Celtas ſparſit ſua fulmina Conjux,
Terrificum Gallis & tibi fulmen erat.
Sic ſocios egit Mars & Bellona triumphos,
Et meruit lauros numen utrumque ſuas.
O ſi plena tuas tetigiſſent agmina terras,
Anglica ſi Gallis preſſa fuiſſet humus.
Et Te vidiſſent prima inter ſigna tonantem,
Turbaſſetque acres altera Eliſa globos.
Quam bene fœmineis hæſiſſent tela lacertis,
Et tenerum ornaſſet Martia pelta latus.
Talis cum roſeos Erycina abjecit amictus,
Armavitque ſacras cuſpide Diva manus.
Illa inter gladios candentes ære refulſit,
Hinc facies, illinc vulnera dextra dedit.
Neu tamen incautam Diomedis ſpicula lædant,
Mars geſtet clypeos & tua bella gerat.

Jo. Pelling A. B. Ædé Chriſti Alumnus.

JAM lœti Proceres nec non ignobile vulgus
Unanimes magno reducem, Gulielme, ſalutant
Te ſtrepitu, Tibi Victori perſolvere honores
Perpetuos, aut imperium proferre parati,
Imperium, quod jure Tuum eſt.
Quas gazas, aut quæ dabimus Tibi munera laudum,
Qui præſens equitum turmas peditumque catervas
Urgebas, ſeu munitas obſederit Urbes
Intrepidus Miles, ſeu Te armis fama futuri
Nominis impulerit medio concurrere campo?
Heu! bello nimium acer eras, o prodige charæ
Vitæ Heros; tua enim tetrum per brachia vulnus
Stridit, & effuſo fœdavit ſanguine pectus:
Ergo furor laxis iterum veſanus habenis
Ne mentem inſtiget, ſed cautior utere ferro.
O memoranda dies, qua tranavere Boandum
Fortes Angligenæ, dum ſævi littore Hiberni
Oppoſito ardebant tentare pericula belli!
Adverſæ primus ſteteras in margine ripæ
Voce Duces lentos urgens, (tua dicitur illis
Extemplo virtus agilem inſpiraſſe vigorem:)
Mox alacres ruere in pugnam clamore Britanni,

Atque

Atque implere cavas hoſtili ſanguine foſſas.
Sic Puero temere ludenti alvearia circum
Stridentum undique Apum volitant examina denſo
Agmine, & ore fremunt rauco; perque arva ſecutæ
Mille hoſtem, ſtimulos in toto corpore figunt.
An memorem confuſæ acies quo more ruebant
Jacobi, vel quot petierunt agmina ſylvas,
Quotve Urbes, qninam patulis occumbere campis
Maluerant validi, & jam mortis honore fruuntur?
At lubet egregio lachrymas effundere paucas
Ductori potius Frederico; Ille inclytus armis,
Ille gravi ereptus fatorum crimine jam nunc
Inter cœleſtes Animas volat Umbra, vetuſtos
Heroas ſuperans, quibus olim ſydera parvo
Sunt pretio conceſſa, & nomina ficta Deorum.
Jamque tuas iterum gaudet, Gulielme, reverti
Pieris ad laudes; Ut Te, fortiſſime Regum,
Accepere Ducem unanimes! ut Belga, Britannuſque,
Atque audax Danus ſecuri in prælia currunt,
Dum parent dictiſque tuis, tuaque arma ſequuntur!
Hinc arcentur Equi Gallorum, hinc perfida ceſſit
Anglorum manus, hinc gens ignaviſſima Hiberni
Dant ſua terga fugæ, & Tibi caſtra opulenta relinquunt.
Interea, cum ſe ſpoliis onerarat opimis
Miles, ad Eblanam, properas victricibus armis:
Accepit cito victrices Eblana catervas.
Quam tum ſuſpenſi ſteterant formidine cives,
Ne ſcelerata manus turres ac templa Deorum
Polluat, atque omnes Vulcano immittat habenas.
At Tu Gallorumque dolos prævertis, & ignes;
Tam velox urbe excuſſas, Gulielme, catervas
Pone ſequens premis, & turbatas concutis alas.
O ſi laxantes portu retinacula Gallos
Angligenæ, aut medio potuiſſent fiſtere curſu,
Dum ſe tentabant Juverna ſolvere Terra!
At certe ulciſci dabitur; cum montibus altis
Paſſim diſpergas Tu fractos Victor Hibernos,
Effrænum genus & duro ſub robore natum.

Sam. Dwight ex Ædc Chriſti

Ex Hibernia Reditum.

O lux ſaxonidum, ſpes O fidiſſima noſtri!
Salve Heros invicte, novum decus addito Divis;
Adſis O tandem, & propius tua Numina firmes,
Languentes accende modos, numeroſque potentes
Inſpirato, favenſque audacibus annue cœptis.
Eſt in ſeceſſu longo notiſſima fama
Inſula, proh! miſeris nimium vicina Britannis!
Dives opum quondam, ſed nunc horrentibus armis
Diluvio proprii largo demerſa cruoris.
Indocile hic hominum genus incolit, uſque Regenti
Infidum, patriæque nocens, pietatis avitus
Hoſtis, & Angliacis jam formidabilis aris.
Effera gens ſylvis, craſſoque ſub aere nata
Cœnoſas tantum tranſcurrere docta paludes
Hine valent Britonum victrices ſternere turmas,
Saxonidumque aquilis ſuetos auferre triumphos?
Nonne fuit ſatius longa ſub pace benigni
Principis auſpiciis faciles tractantis habenas
Servire, & tutos tractari fœdere certo?
An juvat infauſtis inhoneſto vulnere fatis
Concidere, & raptos læte ſpectare Penates
Purpurea illuvie, duroſque ſubire labores
Gallorum, & gravibus Lodoici agitarier armis?
Cumque ſub Henricis ſatis immaduiſſet opima
Sanguine planities, umbraque querantur inulta
Solliciti manes: invito Marte cietis
Prælia belligeris, nullos habitura triumphos?
Anglica ad hoſtiles feſtinant agmina ripas
Jam certi tranare amnem, licet undique glandes
Littore ab oppoſito volitent, & flammeus imber,
Lubrica diſploſo feriant veſtigia plumbo,
Et prope præcipites fervens exorbeat æſtus;
Et tum per globulos, rapidique incendia belli,
Impavidi tandem adverſa potiuntur arena.
Ingens exoritur clamor, crepitantiaque arma
Horrendum reſonant, numeroſaque vulnera miſcent.
Enſibus excipiunt hoſtes, propiuſque ruentes
Formidanda aliis contemnunt fulmina Martis
Angligenæ: Gulielmus ovans ſupereminet omnes
Aurata chlamyde, & ſtellato pectore fulgens.
Ille quidem impavidus media jam in morte vagatur,
Et ſpargit ſtrages, & cladem clade rependit.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Nunc hoſti vires languent, pars vertere terga,
Infandum cuncti trepidare, metuque relabi.
Mox omnes ruere, ac totum ſpumare Boandum,
Semineceſque viri revolutaque tela feruntur
Flumine declivi: antiquas exterrita ſedes
Nympha fugit, repetitque patrem Dea diſcolor udum.
Schombergo extremum proh! longæ fata repandunt
Famæ iter, indignis ingens cadit hoſtia lymphis,
Purpureamque animam rubicundis evomit undis.
O fuge, jam ſummis appone Boande triumphis,
Quod tibi tam ſacrum liceat jactare cruorem.
Jam feſſi cupiunt ſocio diſcedere Regno
Semianimes Galli: primæ fortuna ſalutis
Qua nunc monſtrat iter, qua proxima meta viarum,
Se profugi eripiunt· -------
Ex illo fractæ vires ſpes lapſa referri.
Agmina jamque ruunt ſpoliis aſſueta cruentis
Angligenum, exuvias per cæſa cadavera raptant,
Per gemitus, ſtrageſque, & ſaucia pectora ovantes
Diſſiliunt; meritoſque ferunt clamore triumphos.
Aſpice Naſſaides victor procul emicat ingens,
Ut graditur Divus ramis inſignis olivæ!
Ut ſparſa hoſtili Mavortiaque arma cruore
Effulgent, vaſtiſque gemunt vexilla trophæis!
Ut videt hoſtiles acies, cæſaſque phalanges,
Ex imo ingemuit; ſic ore effatus amico,
Parcite jam, ſatis ô, ſatis ô, jam parcite dextris.
Jam vides roſtris Neptunia dorſa ſecantes,
Fluctibus aligeras equitantes cerno carinas;
Non Cynoſura vias erranti præbuit aſtro,
Inſolitum ſydus gaudenti crine per undas
Exarſit, totumque exultans æthera fauſtis
Implevit flammis: concha Venus alma nitenti
Sacrum tollit onus: Phorcique exercitus omnis
Æquora verrebant caudis, vulguſque Marinum
Denſum humeris avida voces bibit aure potentes,
Jo! triumphe! canens, tollenſque ad littora plauſus.
O tandem magnis belli defuncte periclis,
Angliacis Numen rediens præſentius oris,
Ingredere Auguſtis Capitolia celſa triumphis,
Ut dextræ cernant victricis ſigna rebelles,
Et tandem agnoſcant fore ineluctabile fulmen.

Hen. Sacheverell, è Coll. Magd.

Ex Hibernia Reditum.

DIves erat crebris Caci ſpelunca ruinis,
Latroniſque dolos fleverat omne nemus.
Ille diu furto aſſuetus, ſpoliiſque ſuperbus,
Herculeas tandem cogit in antra boves.
Quos tunc emiſit gemitus? quantaque querela
Alcidæ infelix præda popoſcit opem?
Advolat ille furens animis, flammaſque minanti
Disjicit ultrici ſaxea tecta manu.
Extemplo umbroſæ penitus patuere cavernæ,
Et Domino ceſſit reddita præda ſuo.
Jam nemora ingeminant plauſum ſecura pericli,
Præſentique frequens ponitur Ara Deo.
Haud ſecus ex rapto Lodoici gloria crevit,
Dum ſenſim in prædam regna propinqua trahit.
Sæpe urbes furto abductas plorabat Iberus,
Abductas queſtus ſæpe Sabaudus opes.
Non ſatis hæc — Actus furiis invadit Iernam,
Oblitus, quanto cedat Ierna Deo.
Quin mox Naſſaidæ auxilium, dominumque priore
Advocat, inſueti neſcia Terra jugi.
Ille cito extorquet multo cum ſanguine prædam,
Et Cacum duro Marte fatigat ovans.
Nequicquam flammas Monſtrum, atque incendia miſcet
Irrita, & in proprios mox reditura Lares.
Illa dies Lotharos, Burgundos Illa reducet,
Abreptas Batavis Illa reponet opes.
Tum tutæ, Alcida, condent tibi carmina Muſæ,
Communemque colet quælibet Ara Deum.

Gul. LLoyd, R. D. Epiſc. *Aſaph.* Fil. ex Æde Chriſti.

ΧΑῖρε διοτρεφέων βασιλήων σεμνότατ' ἀνδρῶν
Χαῖρε κύδιστε βροτῶν, ἠρωῶν χαῖρε μέγιστε,
Γήρυον' ἀνδρεῖον τριπλοῦν κεφάλαιον ἔχοντα
Ηρακλῆς κρατήσε μέγας σὺ τρεῖς βασιλεῖας.
Ηρακλῆς ἥττησε μάχῃ Λερνήϊαν Ὕδραν.
Δεινότεραν σὺ δ' λιμναῖς πορθούσαν Ιερναις.
Αθανάτοισι Θεοῖς Ηρακλεα ταῦτα μιγήσε·
Αθανάτοισι Θεοῖς (βράδεως αἴθ') σὺ τε μιγείης.

Jon. Sanders, è Coll. Wadh.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Ad Famam.

O quæ Diva rotans celeres per inane quadrigas,
Omne quod in cœlo rerum, terraque, marique,
Volvitur, innumeris ſtrepitantibus ordine linguis,
Hinc atque inde ſonas, totumque inquiris in orbem;
Huc oculos huc ora refer; miranda videbis,
Dignaque quæ patulas memores ſublata per auras:
Qualia dat reduci crebris fumantibus aris
Thura Jovi, & quantas paſſim movet Anglia pompas!
Qualiter inſurgit! quamque alto vertice nutat
Diva loci, quantoque erecta ſuperbit honore!
En quoque, jam victrix, quibus eſt onerata trophæis!
Quæ pretioſa ſuis rutilant in pondera dextris!
Quam multæ virides circumdant tempora lauri!
Tempus erat, memini, (piget ah! meminiſſe dolores)
Cum ſcelera & rixas, male ſceptra gerente Jacobo,
Fraudeſque, inſidiaſque, & nil niſi triſte videres:
Tum commenta ſuas vendebat callida nugas
Vana Superſtitio, & dubio ſermone fefellit
Ignaras veri mentes; vetulaſque vagantes
Hoſpitio excipiens, variis circum undique duxit
Porticibus; veterumque umbras, ſimulachraque rerum
Mirantes, ſtatuaſque, & pondus inutile ſaxi.
Sed jam diffugere retro, quæcunque ſiniſtro
Nox fœtu peſtes genuit, nec lumina noſtri
Ferre queant, radioſque igneſque, & numina, Phœbi.
Auriacum cernis rurſus celebrare Britannos,
Atque iterum bellis vacuam exultare Juvernam;
Quod tacitus frendet Livor; datque horrida vinctas
Poſt tergum Bellona manus, ſpoliataque telis
In ſua crudeles detorquet viſcera morſus:
Quod jam priſca Fides, atque inſtaurata renident
Secula, & antiqui revireſcit gloria Bruti.
Quare age, Diva refer toto hæc circumſona Mundo,
Qua tumidus nigra Rhodanus circumſtrepit unda,
Qua volvit Ligeris fluctus, & Sequana Gallos
Lambit, & Eridanus, Tybriſque in marmora currunt:
Audiat hæc quæcunque Notum gens ima jacentem,
Erectumque colit Boream, quæcunque vel ortu
Vel patet occaſu, medioque ſub æthere torret.

Greg. Davis, Armig. è Coll. Trin.

Ex Hibernia Reditum.

FErte Parnaſſo nitidas coronas
Barbitis Muſæ ſolitis referre
Principum laudes: aperite fauſto
Alite carmen.
Jupiter nimbis tremulam premebat
Horridis terram, tonitruſque crebri
Igne fœdarunt rutilante Templa
Ætheris alti.
Quem deum noſtris ſubitum querelis
Flectimus? ecquis miſeris dolores
Eximit? riſit, dedit & Patronum
Rector Olympi.
Nunc ſuam frænis rabiem coercet,
Stridulos cœli poſuit ſuſurros
Ut virum lætæ celebrent Camœmæ
Carmine dignum.
Nulla jam cornix monuit finiſtra;
Sæpius nobis tonuitque lævum;
Cuncta jam ſacris recinunt litatis
Exta beatos.
Squameus Triton canit acta concha
Veſtra per littus, reſonare valles
Atque vocales ludibunda ſylvas
Imperat eccho.
Jure Spartanum ſuperas Lycurgum,
Jure fortunam reducis Camilli,
Qui tuos Roma repulit tumultus
Perfide Brenne.
Non eges Rheſi rapidis caballis;
Palladis nedum clypeo minacis;
Marte, Virtute &, ſuperumque ſtabis
Munere tutus.
Dii tibi præſtent geminos honores
Pacis & Belli, Stygiæ paludis
Monſtra devinces, pietate pollens,
Principe dextra.
Te diu gentes teneant Britanum;
Dulce feſtivo modulante plectro,
Soſpites longum teneras benigna
Fronte Camœnas.

Geo. Parry Coll. Jeſ. Commen.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis Ad Reginam.

REgina, cuſtos pacis amabilis!
Tu bellicoſi conjugis æmula,
Componis inſanos tumultus,
Et peragis ſine cæde motus.
Jo triumphe! diſcute, diſcute
Obſcura mæſtis nubila vultibus,
O Diva! curarum latentes
Parce animo ſepelire turbas.
Te fulgor oſtri cingat, & aureæ
Gemmæ tiaræ, te radiantium
Nexus coronarum, & ſerenis
Circum apices radient lapillis.
Victor maritus nunc populo datur.
Denſis Jernes exuviis gravis:
Interque ſtipantes catervas
Per medias redit acer urbes.
Plorare ſævis deſine fletibus
Cœli rigores, & rapidum Jovem,
Solemque ſub terris cadentem
Heſperiis celeri quadriga.
En Rex procellas diſſipat aſperas
Martiſque, nimboſque, intrepida manu;
Et læta Majeſtas Britannis
Luce diem meliore pandit.

Guil. Hardeſty, Coll. Di. Joh. Bapt. Gen. Comm.

DUm jam ſemianimum laceras, Jacobe, Britannum,
Opprimis & populum faſque nefaſque tuum,
Dum Phaetonteo moderamine lora gubernas,
Incipit & regnum flamma vorare tuum,
Mitior (ecce) Deus, tremebundo fulmine poſito,
Deturbat ſolio te leviore manu;
Immemor aſt, Miſerande, manens tu numinis, urges;
Et cogis noſtrum fulmina ferre Jovem;
Nam procul in terris fera prælia jungis Iernis:
Sic te vindictam poſſe latere putas?
Claſſibus inſanum Wilhelmus trajicit æquor,
(Cæſar ineſt cymbæ, ne freta nauta time)
Diſpoſitaque acie Venit fulgentibus armis,
Vidit, & attonitas Vicit Oranga manus.
Territa ſic radiis Orientis nubila ſolis,
Heſperio glomerant agmina fuſa polo,

Phœbus

Ex Hibernia Reditum.

Phœbus at Occiduas, fugiunt, cum tendit ad undas,
Nec poſſunt rutili lumina ferre dei.
Maſſica vina puer jam funde capacibus urnis,
Ut libem Genio narda merumque meo:
Ecce! redux Cæſar, non ullo vulnere læſus,
Lambebant humerum plumbea tela ſacrum:
Sic puer Aſcanius medio eſt intactus in igne
Dum ludit teneris flamma benigna comis;
Nunc & damna juvant; atque ipſa pericula proſunt,
Nam loca non poterant tuta probare Deum.

Ricardus Nutley, Aul. Nov. Hoſp. Com.

AUguſtum ut quondam celebrabat Roma triumphans,
Cum lætus victo victor ab hoſte redit:
Anglia non aliter victorem læta ſalutat,
Dum Regis proprio Marte Juberna ruit.
Sume triumphalem Princeps Auguſte coronam,
Accipe militiæ digna Trophæa tuæ;
Carthago Hannibalis ſileat certamina fortis,
Definat & Fabium Roma ſuperba loqui:
Nulli etenim Heroum Tu ſis virtute ſecundus,
In bello, es campi gloria, pace, Togæ;
Hinc tua per cunctas fundens præconia terras
Belligeras inflat, Martia fama, tubas.
Quo tua ſigna feres ſequitur victoria palmis,
Gaudet & in caſtris eſſe miniſtra tuis.
Dum ruis in pavidos vitæ quaſi prodigus hoſtes,
Terrorem incutiunt, vultus, & arma, parem:
Sic Te caſtra juvant veluti certamina ludi,
Par Tibi certare, ac vincere, ſemper erat.
Macte ergo Rex magne ſubactis proxima Iernis
Gallia victricem ſentiat icta manum.

Joan. Pridie, Coll. D. Joan. Bapt. Soc.

Μνήσομαι ὐδὲ λάθωμι᾽ ἔγωγε, Καινομέυτων
Ἰφι δαμασσαμένυ χαλεπῶν φῦλ᾽ ἀνδρῶν Ἰερνῶν,
Καὶ θεσέξεων αὐτῦ τε θαλασσοπόρων τε τροπάων·
Ος πότε Βελγάων τε νόμων ἱερῶν τε σαώσας
Θειοσεβὴς μέγα κῦδος, ἐπ᾽ Αγγλίδα γᾶαν ἵκανε
Ταύτηφιν βελῆφ᾽· αὖτι δ᾽ ἐτελέσθη βελὴ.

Ως

In Exoptatum Serenissimi Regis

Ως ὄφελες δέ συ, νῆσε ἰώδεος ὄδὲν ἔχεσα,
Τέτῳ πειθαρχέειν, κὴ μεσοτύρσιν ἀκέειν·
Ηματ ἀλλ' ἔτως ὲ μνήμη σὺ ἦσιν ἐκείνε,
Οπι γε μήποτ' ἔες ὑπλησμοσύνῃφι καλυφθέν,
Οπωόθ' ὅ τοι πολύμητις ἄναξ Βρεταινῶν ἐρικυδέων
Ρθματαί πε διέβαινε βαθυῤῥείταο Βοάνδου·
Θηεία ἐς δὲ φυγὴν δειλώταζα τρέψεν ἀπηνὴς
Εχθρὸς· (ὃ δειλὸν γὸ ἀπήνεϊ ἐγγύθι ναίει·)
Καὶ βασιλεῖ, μεγάλῳ ἐὺ ὀχμήσῳ ὑπέδειξεν,
Ως ἔσαι αὖτῳ τ' ἀγαπητέον ἤσονι ἦμεν
Αρχοντ Ναστωυϊάδεω, ὃν ἀπαξιοῖ ὄντα
Αγγλάων βασιλῆα βαθύφρονα γηναίων τε.
Οὕτως ὁ Μακεδὼν ἀφ' ὑπνιοῖο ῥέεθρα
Πέρσας, ἀὐτοβίους τ' ἀπολώλεκεν ἀρεϊ λυγρῷ,
Περσάων δέ τ' ἄνακτα κομῶντ' ἐδίδαξε Δαρεῖον,
Ως αὖτὸ μεῖζον τὸ Φιλίππε παιδίον ἔη.
Τρὶς μάχαε ἦμαρ ἐκεῖνο, ἐν ᾧ θεοείκελ ἤρως,
Ιλερμος ποτὶ δῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης
Αγγλιακὸν, νίκην τε φέρων κ' ἀπερείσια δῶρα,
Νηὶ ποσσιέμβ, μέγα χάρμα πᾶσῃ Βρεταννοῖς.
Οἷα Σπαρτιάτῃσι φέρεν χαρίεντα Λύσανδρ
Σύμβολ', Αθηναίων ὁπόταν κατέτεμψε τριήρεις,
Ηὲ ἦθέντα τειρεσάχλυ κὴ τρέψε φυγὴν δε·
Τοῖά γε νικήσας Κελτὰς τε καρηκομάοντας,
Καί νυ τοι Αρηος ἔειδα ξυναγοντας Ιερνὰς
Τρεῖς ἀπέων μῆνας φαιδροῖς Αγγλοισι πεφιλθν
Θειοφιλὴς βασιλῆς, τᾷ σ' αἰγιαλοῖο κατέψα,
Κύμασιν ἀφρῥοῖς ὃν ἀπακλύζει ἁλιμυκτὴς
Σαβρίνης, ἃ ἔων Θάμεσις νιῷ ἀξιοῖ πέλεν·
Εὖγε νυ τ' αρετῆς, ἐπὶ τῷ Σπαρτιάτα ὀχθῶν
Ην πότε τοι μέλλῃς δείξειν, Ιλερμε κραάτισε,
Καὶ Ροδανῷ, δώσων πολιτείας τ' ἰσονόμοιο
Θεσμὸν Αραυσιχανοῖς, χαλεπήνε τυραννίδ' ἀπώσων.

Guil. Dale, Art. Bac. è Coll. Reg.
& Scholaris de Taberda.

O decus

Et Hibernia Reditum.

O Decus o Britonum Columen! quo ſoſpite ſoſpes
Anglia, quo pereunte perit: Fortiſſime gentis
Naſſaidum: Tantorum haud quaquam Indigne Parentum.
O quem Te memorem, Princeps! Qui noſtra triumphis
Secula tot ſignas; Qui nos in avita reponis
Jura, tuaſque iterum lapſis ſuccurrere rebus
Porrigis invictaſque manus, feliciaque arma.
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.
Vix Pax Angliacis aſſulſerat aurea Terris,
Libertaſque una, Batavum Telluris Alumna,
Quam noſtris, dudum peregrinam, advexerat oris
Auriacus: procul hinc ſtatuit, procul ire beatæ
Turba gravis paci, placidæque inimica quieti.
Nec mora: in occiduas viſum eſt contendere plagas;
Hibernoſque ſibi ſocios adjungere; quorum
Infidos norant animos, promptoſque novandis
Rebus, & amiſſi gliſcens in pectore vulnus
Imperii, Atque Anglis odium capitale Monarchis.
Scilicet humanos Sæva hic infudit in artus,
Toxica quæ, Natura, feris animalibus atra
Indiderat; ſolique dedit gaudere veneno
Hic homini; atque hac de cunctis regionibus una
Servat adhuc ſerpens veteris veſtigia formæ
Hoc ubi magnanimi Naſſovi contigit aures;
Extemplo contra ire parat; gentemque rebellem
Deſtinat exitio, ſi debita fræna recuſet
Convocat hinc bellique Duces, & Martis alumnos,
Angligenas, forteſque Danos, Belgaſque feroces;
Indociles vinci cunctos; dehinc talia fatur
Tantane vecordes tenuit fiducia gentes
Hibernas? tanta eſt toties audacia victis?
Sæpe experta ſuas nil poſſe Jerna paludes,
Nilque agiles prodeſſe pedes, quid noſtra laceſſit
Arma, quid invictas trahit in nova prælia turmas?
Anne triumphatis vult ſe committere Gallis?
Haud ita cenſeret, ſi mens non læva fuiſſet.
Non nunc imbelles acies veſtra agmina primum
Gallorum fudere: ignotuſve ingruit hoſtis:
Quos ſi non animis, vincendi vincitis uſu.
His animum arrecti dictis, lœti arma capeſſunt,
Hoſtileſque petunt acies: quæ, Caſtra Boeno

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Vix circumducto credunt jam flumine tuta,
Languida cum nullam ſponderent arma Salutem.
At non oppoſitæ moles, non altus aquarum
Inſurgens cumulus, neque tot jam fulmina diris
Tormentis exploſa, vel ardens ferreus imber
Naſſovi indomitas poterant terrere cohortes.
Saucius Ipſe licet telo, tamen acrius urget;
Inque undas educit equos, mediiſque timendus
Inſtat aquis: vibranſque manu non debile ferrum
Vincit aquas hoſteſque ſimul: poteratque videri
Ipſe potens belli Mavors, Neptunus & alti.
Jamque eluctati intrepide per tela, per undas
Adverſas ſuberunt ripas, hoſteſque requirunt.
Aſt Hos Auriaci primus fugat impetus; Illi
Vix ſemel aſpectis obvertunt terga Britannis.
O nunquam vincende Heros? O Cæſare major,
Qui nondum viſos bello ſuperaveris hoſtes.
Nunc tandem armorum liceat miranda tuorum
Suſpicere: Hibernis cecidit victoria victis:
Libertas ſervire tibi eſt; & gloria vinci:
Et ſibi jam domitæ glacialis plaudat Jerne.
Quin fruere o tantis non fruſtra erepte periclis,
Ardua quæ Virtus, victriciaque arma pararunt.
Innumeros Te fama manet manſura per annos:
Tu decus æternum ſeriſque Nepotibus addes.

John Vaughan
Armig. fil. è Col. Jeſ. Socio Commenſ.

CUm longe exultant, & ſolvunt gaudia gentes,
Quas vix languenti ſole, WILHELME, beas;
An Rhodos influxu propiore beata tacebit?
Nec lætetur adhuc Inſula plena Deo?
Cum celebrat partos in cunis Belga triumphos,
Angligenæ, poſtquam victa ſit Hydra, ſilent?
Quin age, Muſa tuo grates perſolve Tonanti,
Grates, victori tenuia dona Jovi:
Poſt toties iteratum, æquor poſt bella reverſum
Excipias plauſu lætitiaque ducem:
Sic poſt Oceani ſalebras, & teſqua, ſalutat
Occiduo reducem Memnon ab Orbe Deum.

H. Downs. A.B. è Coll. Nov. Soc.

Ex Hibernia Reditum.

QUod pavidi fugiunt Galli, dum fervidus inſtat
Auriacus Ductor, ne, Lodovice, petas:
In promptu ratio eſt (ſi quid ratione probandum)
Hi Divos orant, orat at ille Deum.

Johannes Goddard, Socio Com. è Col. Exon.

CRedidimus meritos poſt tot, WILHELME triumphos
Undique congeſtos, fuſoque papiſmate, nullum
In fatis ſupereſſe malum: caput Anglia lætans
extulit, & ſiccis ſibi jam plaudebat ocellis.
Aſt uno vinci potuit non vulnere monſtrum
Immane id, tentanda tibi majora ſuperſunt
Herculeum placuit Superis renovare laborem.
Securus nondum pacis requieverat Enſis,
Mollia nec poſito valuiſſent otia bello,
Claſſica quin recinens, repetit nova prælia Mavors.
Squammoſum quatit Hydra caput, geminaſque reſumit
Deſperans vires: totos furor occupat artus,
Deſpuit ignivomo viruſque ex ore, Juverna,
(Terra venenoſis quondam haud fæcunda colubris)
Tota calet; circum ſinuoſa volumina torquet.
Mox ubi ſe, caudam ſtimulata, laceſſit in iram,
Exeruit criſtas; vaſto quoque murmur hiatu
Infremuit raucum; lateque exhorruit orbis.
Interea è Cœlo Cyllenius advolat Ales,
Et fauſtum Auriaco fert Divum nuntius omen.
Undique per latos crebris micat ignibus agros
Æther & intonuit lævum: Plebs læta per urbes
Arma petit: dubiam nec fas eſt credere palmam.
Huc invicta manus delecta ex omnibus oris
Confluit, obliqua quas luſtrat lampade Phœbus,
Baltica ſarmaticis Lambit quem fluctibus unda
Danus, & æratis Suecus Bellator in armis;
Belgarumque acies jungunt ſocia arma Britannis;
O mihi quam geſtit decoris præſaga futuri,
Mens mea venturum Auriaci canere ante triumphum!
Quæ te Fama manet! Batavum comitantibus armis
Anglica ſe quantis attollet gloria rebus?
Jamque per occicdum volitantia vela profundum,
Et celebrem dic Muſa ratem, tantoque ſuperbam
Pondere; quæque olim fiet ſacratior Ipſa,

In Exoptatum Serineſſime Regis

Quæ quondam Argolico remeabat vellere dives,
Colchiaci referens Græcis ſpolia ampla Tyranni.
Vecta renitebat non ſic Europa Tonante,
Purpurea quando tranaret cærula concha.
Æquoreos vocat Ipſe Deos Neptunus, & ingens
Conſilium celebrat: tacitis obmutuit undis:
Diraque Vergivii requierunt murmura Ponti.
Indocilis quoque fræna pati, vaneſcit inanis
Impetus Hippotadis, redeunt in clauſtra procellæ.
Non aliter quoties teneras moderatior aura
Naiades invitat, Phœbique cubilia Tethys:
Compeſcit Neptuus aquas; fluit omnis ab antro
Nereidum Chorus, & ſueto certamine nandi
Candida per liquidum contorquent brachia pontum.
Nec mora, quin curſus avidos ad littora vertit
Rex optata; ſuum ſtrinxitque in prælia ferrum,
Hibernos late coopertus milite campos.
Arma volant, facilem vibratque in vulnera dextram.
Sic Boddegravias olim tremefecit arenas.
Qualia Amaroniis commiſit prælia campis
Cum rapidum effuſis ageret ſublimis habenis
Quadrupedem, timidis & torſit ſpicula Gallis.
Talia Naſſovius per campos agmina Ductor
Boineios, rutilis præfulgens fulminat armis.
Jamque agitur largus per membra fluentia Sudor
Sanguine commiſtus varo; rapiduſque Boenus
Flumen ſanguineis exundans volvitur undis.
Interea adverſos ſecurus tranſvolat ignes
Cæſar, & intrepide metuentia ſpicula tranſit.
At non Auriaci parvo victoria conſtat.
Plenus honore, Ingens cecidit Schombergius Heros:
Quem virtus vivum ſublimem evexit ad arcem
Famæ, defunctum claroque reponet Olympo
Heroas inter melior quos protulit ætas.
Sed nihil (o ſuperi) querimur: quin grata benignis
Libamus jam thura deis: nil quærimus ultra,
Votivas opus eſt Templis Sacrare tabellas,
Et meritis reducem WILHELMUM cingere palmis.

Joh. Davis, A. B. è Coll. Jeſ.

Ex Hibernia Reditum.

DUM Cæſar Turmas inter verſatur & arma,
Cæſaream ſtrinxit glans inimica cutem,
Ecce fluit ſanguis, neque enim miramur & olim
Mortalis didicit lædere dextra deum,
Dextera certa fuit Galli, ſed tela modeſte
(Se tetigiſſe deum conſcia) bruta cadunt:
Vulneris innocui pœnas luit improbus hoſtis,
Turmatimque cadit, quâ via nulla fugæ eſt:
Pœnituit ſtolidam miſceri prælia turbam,
Cum capere hoſtilem cerneret arma deum.
Ipſe vel adverſo vixiſſet numine tutus,
Numina non poterant hunc periiſſe pati,
Ejus enim auſpiciis panduntur templa Deorum,
Jani clauduntur, quæ patuere, fores,
Et clauſæ maneant: ſatis illi eſt laudis ab armis
Si modo furtivas Galle refundis opes.

Robertus Knight
è C. C. C. Com. Sup. Or.

QUorſum, Muſa procax, numeros conaris inanes?
Quid tentas arcto perſtringere limite verſûs
Geſta tot, immenſum, &, quem vix capit, Orbis honorem?
Buccina plaudentem docuit Vocalior Orbem
Auriaci cœdes mille & miracula ferri;
Ultra Sauromatas, ſuper & Garamantidas oras
Fama triumphales vexit prœnuncia lauros.
Quis poterit primos memorare in prælia motus?
Quis luſus teneræ veluti, tentamina dextræ?
At quis, quis palmas maturo robore partas?
Immenſus labor iſte Deum meruiſſe videtur,
Quem tamen auguſta Wilhelmus mente ſubivit,
Suſtinuitque audax; Quem Sol orienſque cadenſque
Vidit, & æternos ſtupuernnt aſtra labores.
Poſcit opem labor (ecce) novus; gens aſpera bello,
Sed malefida, movet ſolitos Juverna tumultus.
Turba Remi gratum urget opus, pietatis avitæ
Sub ſpecie, magnoque ſimul ruit impete Gallus.
Quos poſtquam late ſpargentes prælia ferro
Senſerat inſignis Naſſovæ gentis Alumnus;
Ingentes animos verſat ſub pectore, & Hoſti
Obvius ire parat, numero multum impare fretus.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Jamque triumphali conſcendens puppe Profundum,
Tutum carpit iter, fluctus cecidere tumentes
Regis in obſequium, Viſus Neptunus & Ipſe
Vectorem ſenſiſſe ſuum, haud ignobile pondus.
Protinus ad ripas Buvindæ prœlia miſcet,
Cernere quam videor Cæſorum ſanguine rubram,
Volventem tumidiſque ingentia membra ſub undis.
Qualiter in Lybico nutriti monte Leones,
Longa quibus rabiem addiderant jejunia, in unam
Dum prædam vertuntur, in ilia figere dentes
Propria ſæpe ſolent, dum crebris morſibus Alter
Laſſus abit, prædam invituſque relinquit opimam.
Taliter occurrit quoties gens æmula genti
Amplaque promittunt ambæ ſibi præmia belli;
Armorum ſtudiis flagrant, furor armat utramque,
Bellicus urget utramque æſtus; mox agmine facto
Dant ſigna, atque avide diris concurritur armis;
Donec ſanguineis tandem jacet Altera telis
Obruta, Victori ſpolium factura ſuperbum.
Hinc atque hinc Princeps per mille pericula mortis
Itque reditque furens, mediiſque in millibus ardet.
Ah! quoties diro tormento exploſus aheno
Concidit ante pedes globus, auguſtoſque capillos,
Regia & innocuo perſtrinxit tempora lapſu.
Uſque tamen pugnat, ſocios monet, imperat, urget.
Illum pone ſubit metus ingens, vulnera, cædes,
Et quocunque movet, præſens cadit hoſtia, donec
Nil ſupereſt Hoſti, niſi non ſperare ſalutem.
Jamque fugit Gallus, feſtinat inermis Hybernus
Ad notas trepidans curſu properante paludes.
Læta Ducem atque avidis ſequitur Victoria pennis.
Nec mora, depoſitis apparet lætior armis
Eblana, & Dominum portis invitat apertis.
Quæ nunc tam ſæva eſt, quæ gens tam prodiga vitæ,
Audeat ut noſtrum Veſana laceſſere Regem?
Deponat ſolitos prædatrix Gallia faſtus,
Et fati metuat præſagia certa futuri.
Scilicet in ſolio fulget Wilhelmus eburneo,
Et regit invictos patriis virtutibus Anglos.

Guil. Fitch Armig. Fil. è Coll. Reg.

Ex Hibernia Reditum.

QUalis Cæſareos celebravit Roma triumphos,
Plauſit & Atridas Græcia læta ſuos.
Sic veſtris certatim aris adolemus honores,
Geſtit & incolumi læta Camæna Deo.
Nec mirum eſt quod ſe pietas, Auguſte, tuorum.
Solveret in laudes officioſa tuas.
Scilicet hæc meritis debentur præmia veſtris,
Hæc ſuadet pietas, hæc tua fama jubet.
Perge ideo, & patrios ſuperent tua geſta triumphos
Perge ultra, ulterius gloria monſtrat iter.
Perge agedum, (nec enim poterit metus eſſe pericli)
Oxonii Muſæ te vetuere mori.

Rob. Lowther Armig. fil. è Col. Reg.

CÆſar, moreris, dum tua prælia
Narrem; patentes inde momoniæ
Portus, tubamque, vix manentis
Corcagiæ faciles triumphos;
Dum quos reſurgens hinc operoſior
Athlona, quos Senuſque rebellibus
Undis tibi expreſſit labores,
Difficilemque canam Bimeſtrem;
Exurgit ingens ſub manibus labor
Poſcens dies, pluresque loqui moras;
Vatique largior canenti,
Quo Calamus, magis Enſe, ſudet.
O quantus hoſtes ſanguine proteris
Multum decoros, Ipſe magis Tuo!
Ut miſſiles hinc mille mortes
A gladio gravè pullularint!
In bella pergas neſcius exprimi:
Nam ſæpe anhelans muſa velit tua
Virtute frangi; ſic ſuperba
Sæpe Deum reducem fateri.

Phil. Biſſe Art. Bac. Nov. Coll. Soc:

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

VIctor magne redi.; noſtras felicibus urbes
Ingredere auſpiciis, jam libertate reducta,
Et debellatæ ſpoliis inſignis Iernes.
Immemor ipſe tui, per flammea tela, per enſes
Sulphureoſque globos, cognataque buſta ruebas
Impiger, exemplo oſtendens, patriaque Deoque
Pugnantem non poſſe mori: Victoria ſignis
Inſtat ovans, trepidas nec te tam vincere turmas
Quam viciſſe vidit, præpes ſic Cæſaris ira,
Sic Bruti pietas, felici fœdere junctæ
In te certatim coeunt. Succeſſibus olim
Patris clarus eras, proprio nunc ſanguine partæ
Frondent paciferæ circum tua tempora lauri.
Sume triumphales, Rex Invictiſſime currus
Et meritum diadema tuis, faſceſque triumphis,
Perque caput nitidæ rutilent regale tiaræ,
Aurea & abſcondat generoſum purpura pectus;
Indue victrices tunicas, chlamydemque lapillis
Fulgentem, & virides circumdent colla ſmaragdi.
Prò Superi! quales Majeſtas bellica pompas
Explicat! O quanto diadema coruſcat honore!
Ut patriæ vis priſca redit, virtuſque renata
Surgit! ut innumeris revireſcit laurea palmis!
Macte, Pater patriæ, tantis exordia bellis
Accipe, & auſpiciis paſſim procede ſecundis:
Auxiliatricem cernat Germanica dextram,
Atque tuis ſupplex ſubmittat cornua ſignis
Gallia & elato Thameſi det baſia Rhenus.

Moſes Wiles Coll. D. Jo. Bap. Sc.

VIrus Jerneis Patricius expulit oris,
Et vanos cultus, fictitioſque Deos.
Hinc cumulare ſolent crebris altaria donis,
Et Divo faciunt annua ſacra ſuo.
Tu, Dux, regna novo purgas vitiata veneno,
Romanoſque arces, numina ficta, Deos.
Patronum veterem jam linquat Hibernia, Divo
Majoremque colat, Te, Gulielme, ſuo:

Guliel Trig Superioris
Ordinis Commenſalis ex Aula Mag.

Ex Hibernia Reditum.

AUſpiciis cumulat Superum pia cura novatis.
Anglos, ſucceſſumque novis ſucceſſibus urget.
Nondum deſierat partos ceciniſſe triumphos
Vexillis (Gulielme) Tuis caput Anglia mœſtum
Attollens: revocet cum priſtina jura Senatus,
Exultent reduces poſitaque Tyrannide Faſces;
Quin nova præteritæ ſuccedat laurea pompæ.
Namque Animus (Rex Magne,) Tuus, miſeroſque tuendi,
Ardor, & haud uni tantum ſuccurrere genti
Arcta ſatis virtus, in Hibernas tranſmovet oras
Arma, ſua rurſus potiatur ut Anglia Jerna.
Jactet Danubius, jactet ſua prælia Rhenus;
Principibus, Ducibus, commiſſas ordine pugnas
Enarrent; hos Boyna tamen ſupereminet omnes:
Boyna vel Hibernos nunquam tacitura triumphos!
Scilicet hic alacres Majeſtas Regia turmas
Duxit, & hoſtiles facili citò marte phalanges
Reppulit, armatas vidit, viditque fugatas,
Hora eadem: belli tantum ſimulatur Imago:
Sed peperit certos pugnæ vel Imago triumphos.
Nec dum tranſierat medias Exercitus undas,
Quin victi fugiant Galli. Tibi vincere tarde,
Vinci pœne foret. (Dux Optime:) Regia Virtus
Ardua quæque ſubit nullam paſſura repulſam.
Ne poſt edomitos Hoſtes videatur inique
Pendere arbitrio dubii victoria fati.
Sic domitum Civile nefas, & Hibernia demum
Eripitur Gallo non ſervitura Tyranno.
Nec fuerat rumor ſucceſſu tardior, implet
Protinus arrectas repetitis plauſibus aures;
Et famam incepti præcedit laurea belli.
Dum tamen externos pulſas (Gulielme,) rebelles,
Fulgent in mediis victriciaque arma tropæis;
Virtute, & thalamis, pariter fidiſſima Conſors
Tam prudens Regina datas inflectit habenas:
Ut ſine Te triſtem relevet moderamine gentem;
Et vigili noſtras defendat lumine terras.
Abſcondas (Ludovice,) caput nec turgida pandas
Carbaſa; ſola tuas terret vel Fœmina claſſes.
Arbiter Armorum, Cuſtoſque ita pacis, ut Autor!
Uſque ſalutiferis cingas (Rex Optime:) gentes
Jam ſocias radiis. Fœlicior Anglia primos
Sentiat influxus; fœlix & Jerna ſecundos.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

HOS Inter Britonum plauſus, & thure perenni
Fumantes aras metuentia gaudia nullam
Temporis Invidiam, Juſto mea Muſa furori
Vela dabit, geſtitque ſuas diffundere laudes.
Uno equidem viciſti hoſtes, Wilhelme, triumpho,
Et famam: illudens rerum quoque fluctibus altæ
Atras ſæpe vices regum minitantibus arci,
Juſtitiæ indutus virtutis & arma, videris
Impoſuiſſe ipſis æterna ſilentia fatis.
Hæc pia religio & ſancti conſtantia cordis.
Marte opus eſt ipſo, quanta virtute minaces
ſuſtulerat pugnæ plagas, cum mortis imago
Lurida terribili late glomerabat hiatu;
Omnia cædis erant; ferus & cum ſpargere lethum,
Vel ſpirare quidem viſus non paſſibus æquis
Hoſtis ab arte loci, Boynæ quoque decolor unda
Alluerit clypeos macie, tormenta globorum
Dant Imbrem, munitque hoſtilem anguſtia turmam;
Dicere nunc opus eſt quali tranaverat amnem.
Immoto vultu audaces ſternitque rebelles
Victor anhelus Eques, fortunæ Impervia pandens,
Et ſemper primo conſpectus in agmine Cæſar.
Tum varie ingenti merito Juvernia cæde
Concutitur: male cui virtus concepta dediſſet
Defendiſſe locum, tegit hunc mox corpore, miles.
Quid licet hic memorem quanta cecidere ruina
Gallorum cunei, phalerati & militis ordo?
Quove ſuper greſſus veſtigia culmine regum eſt
Ad pacem pronus, pollens Wilhelmus & armis?
Talia quis juſto depingat facta Cothurno?
Quis, niſi Phœbeo deprompſit carmen ab antro?
Inde ex laude ſua feror huc in publica vota.
Pace diu tua quam parta eſt tibi dextra fruaris
Celſus amore tuorum; par victoria veſtris
Aſſideat cœptis, nutuque trophæa reportes:
Tutus ab inſidiis (ut ſumma Jupiter arce
Aſſerit Imperium) tu tela Typhoea temnas,
Sic Ludovici acies, gelidaſque veharis ad Alpes
Axe triumphali, Magnorum Maxime regum.

Hen. Newte Coll. Om. An. Soc.

Ex Hibernia Reditum.

In Reginam.

HAud fœcunda Samos Junoni Encomia fingat,
Nec pulchram Venerem Cyprus opima colat.
Noſtra Deam tellus ſibi vendicat, O Dea certe!
Non prius Angliaco Numina tanta Polo.
Quid jactant Cœli Divorum nomina? Terris
Diviſum Imperium cum Jove Juno tenet.
Sic dum ſubjectas Phœbus feſtinat ad undas,
Defeſſum fratrem Luna benigna juvat.
Emicat hæc ſtellas velut inter Luna minores,
Abſente & Phœbo vix minor illa ſuo.

Henricus Worſeley D. *Roberti Worſeley* Baronetti filius
Ex Aula S. Edmundi. Gen. Comm.

TAndem læta dies, & Phœbo digna ſereno
Incolumem retulit, quem tot pia vota petebant;
Ecce ut votivo fumant Altaria thure!
Utque coronato ſtat pinguis Victima cornu!
Omnia depoſito celebrant nova gaudia luctu
Et redeunte ſuo lætantur ſole Britanni,
O gens ter fælix, nullis caritura triumphis!
Quantus eras Cæſar? Quam Te potuiſſe videri
Vellem, cum ſtrictos enſes & mille pericla
Spreviſti, temnens minitantis miſſile fati,
Cum ſacro invigilans capiti, deſpexit Olympo
Jupiter & vanum ſubridens ſuſtulit ictum.
Perge Deum cura, innumeris & ſæcla Triumphis
Orna, cantabunt hilares tua fortia facta
Aonii vates, & quas illuſtre Maronis
Non detexit opus, tacuit quas doctus Homerus
Mellifico læti deprom̃ent pectore laudes.
Quis gentem poſthac Armis impune laceſſet
Angliacam? vel quis victrices (Auſpice tanto)
Non metuet turmas? trepidavit in arce Tyrannus
Gallicus, & turpi verſavit pectore fraudes
Infidas, tanto, non æquus cominus hoſti.
Interea lætis jactat ſeſe Anglia fatis',
Et Duce belligero, totum metuenda per Orbem
Imperium Oceano, ſed famam terminat Aſtris.

T. Reeve Armig. Fil. è Coll. Trin.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

QUas referes grates dignas, Hybernia, quæ nunc
Mutua cepiſti duo maxima munera terræ
Wilhelmum, & pacem? cœlum hunc; aſt hanc dedit ille.
Triſtis ubique fuit facies, ac ultima fata
Quiſque ſibi timuit, ceciderunt templa deorum,
Non habuit quiſquam quas nunc deprenderet aras,
Undique graſſatur ferrum, flammiſque ſubactis,
Longa dabant urbes antiquæ ſigna ruinæ,
Vix potuit civis ſeram ſperare ſalutem
Expoſitus populo, quem tam natura ferocem
Formavit, quem religio, cui barbara cædes
Eſt pietas, cui ſancta fides ſubvertere gentes.
Talis erat peſtis cum jam Naſſovius Heros
Applicuit claſſem regalem ad littora ſæva,
Sævitiæ vindex, miſeris ſuccurrere natus.
Cujus ut adventus pervenerat hoſtis ad aures
Nequicquam numero, & conducto milite tuti
Ad latebras fugiunt ſolitas, ſolitumque timorem,
Poſt Boynamque latent, ſed te, fortiſſime ductor,
Non rapidum flumen contorquens vortice lymphas,
Non armata phalanx, armataque littora terrent.
Quidam diſſuadent undas tentare doloſas,
Et dubium Martem, tu bello major, & armis
Difficiles aditus non tantum mente revolvis,
Sed quantum poſſit virtus. præcedis & ipſe
Ante Aquilas primus fortiſſima tela inimici
Expectans, Sacrum nequicquam miſſile plumbum
Invadit pectus, nullo violabile telo.
Poſt multas clades, poſt tanta pericula Martis,
Poſt rabiem populi domitam, gentemque rebellem,
Poſt fuſas acies, terræ pacemque reductam,
Ornatum lauro, inſignem fœlicibus armis
Wilhelmum ſalvum noſtram dant fata ſalutem.
Non poſthac belli ſtrepitus, ſuperataque regna
Sacram in tanta trahant iterum diſcrimina vitam;
Hybernos, Batavos, Scotos, Angloſque ſub armis
Feciſti tutos, facias in pace beatos.

Hen. Powys Omn. Anim. Soc.

Ex Hibernia Reditum.

VIvit adhuc Noſter Gulielmus? vivit & aura
Veſcitur ætherea, quem tot modo ſpicula triſti
Poſcebant letho, quem Gens non una, prementes,
Hinc inde ingenti circumfremuere tumultu,
Vincla, faces, ferrum & crudelia cuncta minati?
Vivit Io! denſæ nec quid potuere phalanges,
Nil equites peditesque, & dextra invicta Jacobi,
Nil rabies cœli, atque aura nocentior armis,
Aſt Hoſte in vito, & cœlo, pelagoque tumenti,
Vivit, & Angliacas victor remeavit ad oras.
Heu! Tyberina ſuos fileat jam Roma triumphos,
Ore, ſuos mendax nec jactet Græcia, cives;
Contigit his forſan, Siculam ſpoliaſſe biremem,
Aut poſt nimboſas hyemes bis quinque peractas,
Poſt multas noctes, poſt longi tædia belli,
Exuviis Caſtri tandem rediiſſe ſuperbos.
Noſter Araufiades vix tota meſſe peracta
(Gratum opus Angliacis exoptatumque colonis)
Hibernos Galloſque & tot quotcunque Jacobi
Cauſa inviſa Dei, toto contraxerat orbe,
Uno devicit certamine; gloria nuſquam
Bellandi major nec Virtus tanta refulſit.
Rhenus, Moſa, Iſter, toties qui cladibus aucti
Barbarico largos mutarunt Sanguine fluctus:
Amplius Heſperias haud jam cantanda per urbes
Flumina: Bovindo cedent, & Cæſare noſtro
Julius in faſtis poſthac minor eſſe legetur:
Hic ſua trans Rhenum, memini, victricia ſigna
Qua via ponte data eſt duxit: Gulielmus at abſque
Pontibus, armatum gelidas ſe immiſit in undas,
Semper in exſtinctam & ſervans in pectore flammam,
Una Hoſtem pariter fluctuſque aggreſſus, eodem
Actu, etiam pariter fluctus ſuperavit & Hoſtem.
Cumque ex adverſo, facti mors improba tanti
Non tulit invidiam, miſſoque Satellite vitam
Poſceret, attonitus tanta virtute Satelles,
(Ut quondam Mario Cimber) defugit, & inter
Aſtantes, trepidum madidis caput abdidit ulvis.
Dum nihil his motus, totus Spumoſus & atrox
Inſtat Araufiades, ſæva & modo cæde tumentes
Jam profugos, una docuit dare terga ruina.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Heu! Jacobe, tuis nimium proh! credule fatis,
Num ſic Speraſti, modico diviſus at amne,
Naſſovios enſes ac Vindicis arma latere?
Qui potuit ſolo Noſtri permotus amore,
Cognatas acies Batavum, patrioſque penates
Linquere, & immani toties ſe credere ponto,
Non amne impediendus erit, ſed vindice dextra
Per Mare, per Scopulos, Scythicum per frigus & imbres,
Ibit Io! ac toto defendet in Orbe Britannos.

T. Hasker è Coll. Trin.

Carmen Paſtorale.

Damon, Melibæus, Palæmon, interlocutores.

Dam. QUid tantum vano indulges Melibæe dolori?
Quid laceras crines, quid tundis pectora palmis?
An ſprevit formoſa tuos Amaryllis amores,
An mala læſerunt pingues contagia tauros,
Vel lupus abſenti tibi, deſpoliavit ovile.
Mel. Infælix Damon, mea nulli armenta leones
Diſturbant, tuti migrant in montibus agni,
Nec ſprevit formoſa meos Amaryllis amores.
At mihi non ſylvæ, non prata virentia cordi,
Muſcoſos odi fontes, procul abſit Alexis,
Pendeat injucunda ſacra mea fiſtula pinu.
Dam. Heu! miſer abjecit veteres Milibæus amores
Longa ſolebamus conſumere tempora Panis
Cantando laudes ſimul, invitante ſub umbra.
Jam vero frangit calamos, jam Pana relinquit,
Ridentes faſtidit agros, & rejicit hædos.
Pande requirenti quæ tanti cauſa doloris,
Cur mœſtos ſumis vultus, & quæ nova mentem
Conſilia immutant; necnon pro more canamus.
Mel. Dic Damon cujus montes ad ſydera nomen
Jactabunt, cujus reſonabunt laudibus arva.
Pan abiit nec curat oves, oviumque magiſtros.
Pœnitet ah miſerum! calamo triviſſe labellum.
Dam. Turbida ſedatis requieſcant pectora curis,
Nec te pœniteat calamo triviſſe labellum.
Pan abiit, ſed Pana manet, quæ munera Panis

Exequi-

Ex Hibernia Reditum.

Exequitur, necnon parvo poſt tempore rurſum
Pan aderit, magnos referens cum laude triumphos
Namque ſecunda cava prædixit ab ilice cornix.
Mel. Sint rata dicta precor: ſed cur hos deſerit agros?
Dam. Ut nos incolumes præſtet, teneraſque capellas
Namque lupos rapidos timidis depellit ab agnis
Vexanteſque armenta incuſtodita leones
Proſternit, multos qui nos carpſere per annos.
Mel. Mira refers, at grata ſatis, ſed dic mihi Damon
Quas ſibimet laudes, & quænam encænia Pana
Expoſcit, quæ nos, abſenti Pane, gubemat,
Fumabuntque ejus noſtris altaria donis.
Dam. Omnia quæ Pan, Pana colit, nec plura requirit,
Adque ſuas aras cultores poſcit eoſdem.
Pal. Ah! nullum, ignavi, modulatur Carmen avena?
Optatus Panis reditus tantilla meretur
Gaudia? quin pullæ referunt ad ſydera valles
Divinas ejus laudes, ſibi talia mandat
Pan fieri; ſylvæ, rupes, virgulta canora,
Hirſuti montes ingrata ſilentia rumpunt.
Mel. Uſque adeone tibi mendacia grata Palæmon?
Inque eludendis aliis tibi tanta voluptas.
Pal. Per ſacras Fauni, queis ſæpe litavimus, aras,
Perque Deos omnes nemorum, mea ſeria dicta.
Nec ſolum rediit, ſed quod plus veſtra meretur
Carmina, proſtrato remeavit victor ab hoſte.
Dam. O Melibæe refert & grata, & vera Palæmon,
Sepoſitis igitur curis, pro more canamus.
Ducam uſque leves turba alternante choreas.
Compactos infles calamos, ego carmina dicam.
Pan Deus Arcadiæ, certe nil mitius illo
Totus amor, totus pax, & clementia totus.
Jam nullos poſthac, metuent armenta leones,
Jamque agni tuto ſalices carpetis amaras,
Pacate, nullo vaſtante, tenebimus arva.
O Pan, qui primo calamos non paſſus inertes,
Nulla tui me, nulla dies, nec ſerior ætas
Immemorem arguerit, mihi lux dum grata manebit.
Perpetuoque tuas modulabor arundine laudes.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

JAM pœne extincta eſt in bello interrita Virtus
Angligenum; Victrix marceſcit laurea, tantis
Quam fovit toties olim Bellona triumphis:
Sive ſuo Oceano nimium Brito fidit; Avorum
Seu Famæ incumbit poſitis inglorius armis;
Sive Vices rerum non enarrabilis ordo
Fatorum inſtituit, Quo Tu Wilhelme labanti
Imperio occurras, fixum atque immobile ponas:
Te ſimul ac Regno admorunt ſolioque locarunt,
Conſortis naſcendi ordo, Tuaque inclita facta:
Ut ſeſe fundit Virtus renovata per artus,
Et plenum accipiunt languentia membra vigorem:
Non ſecus ac Ægtis longa caligine Phœbus
Jam tandem Exoriens Animalibus, Excutit atrum
Torporem, inſpiratque novum vegetumque calorem:
Quantas decerpet Rediviva Britannia laurus
Auſpice Te, Natura ſuas Cui prodiga largas
Infudit Dotes, Queis Gens Naſſovia ſparſis
Per ſeriem Heroum jam longo tempore gaudet:
Quam Magna Illa Dies Veſtri Præſaga futuri
Succeſſus, & Venturi lætum Omen Honoris?
Cum Te per medias acies, mediaſque Catervas,
Mortis mille modos objectaque flumina preſſit
Dulcis Amor Patriæ multuſque in ſanguine fervor
Heu cur non animo per ſumma pericla ruenti
Conjunctum eſt Corpus nullis violabile telis,
At ſi non Te incerta movent diſcrimina belli,
Oppreſſo miſereſce orbi Invictiſſime Princeps;
Magna quidem Humano Generi Tua dextra peregit,
Sed majora manent; ſupplex Germania poſſit
Auſpicium, Wilhelme, Tuum; tibi Gallia cedet
Non alia Vincenda manu, tunc undique bellis
Extinctis Optata Diu Pax Aurea Mundo
Diffundet ſeſe, ac æterno fœdere junget:
Hæ tibi ſint laudes, hæc ſint monumenta laborum,
Digna Tua ingenti Virtute, & Rege Britannum.

J. Wright A. B. Coll. Mert.

Ex Hibernia Reditum.

SIquis aprum viridis populantem gramina campi
Transfixit, ſiquis monſtri de faucibus olim
Eripuit, ſævaque puellam a morte reduxit:
Hunc vita functum cœlo inſeruere Poetæ,
Lumen adhuc ſplendens, nautis nec inutile ſidus.
Vatibus hæc priſcis: Nobis non æqua poteſtas
Conceſſa eſt; Neque enim divinos ſolvere cultus,
Nec nomen liceat Gulielmi inſcribere ſtellis.
Quanquam, nuda ſibi Virtus ſi poſcat honores,
Monſtrorum domitor, Gulielmum jure priorem,
Terrarumque magis prodeſſe fatebitur orbi.
Eſt hominum crudele genus, fœcundius Hydra,
Majus & exitium; Qui mollibus intima Regum
Corda dolis ſubeunt, & acerbas undique ſtrages
Conciliant populo, fabellas ſiquis aniles
Spernit, Romanæ nec ſubdit colla catenæ.
Hi Juvernæ in agris multos impune per annos
Errarunt, plebem male cautam fallere docti.
Sed neque pars melior nugis gaudebat ineptis,
Fautorum neque magna ſeges, quorum agmine freti
Sanguineos agerent patrum de more triumphos:
Donec veſano fictæ pietatis amore
Deceptus Rex regni illis permiſit habenas.
Ex illo cædes, ex illo incendia paſſim
Devaſtant urbem; ſævit ſuper omnia Gallus
Has ſtuprat, horum ædes ſpoliat, ferro enecat illos.
Abdunt ſe ſylvis, patriaque, tumentibus undis,
Aufugiunt omnes, qui non prece numen adorant
Triticeum, nec ſacra ferant libamina Saxo.
Eheu! Quis miſeræ poſſit ſuccurrere genti?
Ad quem confugiat ſupplex Hybernia? Quondam
Illa opibus felix, & læto gramine vernans,
Se neque bufones, neque lethale edere virus
Jactavit; fruſtra: Quid enim juvat eſſe veneni
Immunem, ſi ſerpenti funeſtior omni
Vel Monachus, Galluſve, ferox dominetur in agris?
Eheu! Quis Gallum, Monachumque repellere poſſit?
Scilicet illa manet Gulielmum gloria, Virtus
Angligenum pigro viſa eſt torpere veterno
Sub duce grandævo; ſed cum Rex agmina Boynam
Trajicit, & denſos proſternit cominus hoſtes;
Tum Britonum revireſcit honos, Regemque ſecuti

Intrepidi, agnoſcunt veteris veſtigia flammæ.
Ex templo aufugiunt Monachi, timidiſſima turba:
Stagna petit ferus Hybernus, notoſque receſſus.
De Gallo non tam facilis victoria; Pingues
Ille agros, & flaventes invitus ariſtas
Deſerit: infenſus fortunæ, & fervidus irâ
Sævit in Angligenas, fractumque recolligit agmen;
Incaſſum: Bellanti armis victricibus inſtas,
Frendemtemque fugas, Gulielme, & multa minantem.
Haud aliter ſpumas Lupus ejicit ore cruentas,
Quem prædæ intentum paſtor ſuperadvenit, atque
Balantem mediis è faucibus eripit agnum;
Aſper, acerba tuens, pleno ægre abſcedit ovili:
Non illum dare terga fugæ gravis ardor edendi,
Nec virtus patitur paſtoris tendere contra.

Guil. Sherwin, A. B. è Coll. Mert.

VIxdum ſecuros renovata reviſerat Anglos
Relligio, & ſtabilem, facto Te Rege, ſalutem:
Cum Paci invidit, Lauroque Rebellis Ierne
Provocat invitum. Jam Te manet altera Belli
Sedes, Naſſovii digna, & vel Cæſaris Armis.
Non Tua ſuſtinuit, tantas audire Rapinas
Majeſtas, latè, nondum laſſata, Trophæa
Extendit, metaſque dabit ſolum ultima Thule.
Vidit Boyna Tuas Aquilas, amnique Phalanges
Oppoſitas, tandemque humili delabitur unda.
Terra undæ Domino ceſſit; jam quæritur Hoſtis,
Cui ſperare dedit Fluvius, diviſaque Ripa.
At ripa emenſa fugit, parmaque relicta
Victorem agnovit.
Jam Satur enſis erat, jam queis clementia parcit
Captivos ducit. Prima hæc Victoria Cæſar!
Macte, Invicte Tua eſt Dublinia, tuta Recepto
Victricique Aquilæ plaudit, Regemque ſalutat.
Sed majora vocant, ne forſan pullulet ictu
Fæcundâns latèque renaſcens ſibilet Hydra.
Perge igitur, vel ubique Tuum eſt, non mœnia vires
Propulſant Domitor Camporum, at Urbis, & Arcis.
Quos vidit, vicit Præſentia, & illa catervas
Diſſipat & tantum venturo Cæſare, cedunt
Drogheda Te fileo, Te Waterfordia, quæque

Oppida

Ex Hibernia Reditum.

Oppida ſubmiſere, Tuis addenda Triumphis.
Corka Tua eſt, Kynſala Tua eſt, Limiricia ſolum
Non capitur, tota hic diſperſa coegerat Arma
Inſula, ut Unanimis cedat, nam clarius illud
Subjectorum animos viciſſe; fidelius illa
Perſtabit, ſi ſponte dabit ſubmiſſior Hoſtis.
Macte Germanis Vindex, Gallis Timor, Anglis
Servatis Rex, Dux Batavis, & Cæſar Hibernis.

Nath. Lloyd, Coll. Omn. Anim. Soc.

O decus, ô ingens animoſæ gloria terræ,
O mundi lux alma tui; Tu numine leni
Aſpicis ingratas gentes, & vinc'la furori
Injicis, invitiſque jubes bonus otia rebus.
Improba cum noſtros vexaret Roma penates,
Et ſacrata lues Loyolæ erexerat ora,
Tum pax fallaci vultum fucata colore
Sævior incubuit bello, tumque omnibus arvis
Infidum dubia ſplendebat cuſpide ferrum:
Multa quoque immodico tumefacta ſuperbia luxu
Crevit, & auguſtis incumbens fœda columnis
Impietas, dextriſque audax illuſtribus error.
Inde repentino fremuerunt viſcera motu,
Adverſoque ſono ſua quemque in vota trahebat
Vox diſcors; tali tantoque in turbine rerum,
Tu pius Alcides aderas, atque ipſe tuliſti
Molem immenſam humeris, & vix tractabile pondus.
Ut nobis conceſſa quies; ſonat orbe propinquo
Buccina, vicinamque quatit diſcordia gentem;
Tu cito Cæſar ades, nec lento vulnere terres
Audaces numeros, ſed crebro fulminis ictu,
Hinc illinc ſpargis lacerata cadavera, ſtragemque,
(Horrendum viſu) cadit uno funere longo,
Galluſque, Angluſque, Hybernuſque, Italuſque, Scotuſque,
Nec mora; quin pulſis nuper cultoribus, urbes
Agnoſcunt iterum cives, rurſuſque Tonanti
Templa patent, hilariſque expectat meſſor ariſtas.
Sic tecum it Fortuna comes, perque ardua rerum
Dat tibi feſtinos facilis Victoria currus.
Jam tandem proprium rurſus rediturus in orbem,
Præbebas Zephyris regalia vela ſecundis;
Neptunuſque novos tanto ſub pondere motus

Senſit, & attonitum vitreis caput extulit undis;
Totus arundinibus, muſcoque revinctus & alga:
Ut primum vidit pictos in puppe Leones,
Liliaque, Angliaci bene nota inſignia regni,
Tum ſubito Tritona vocat, vocat ille nitentes
Nereides, tremulaſque inter vada cærula Nymphas;
Inde pater ridens ter cuſpide temperat undas,
Unda ſtatim ſilet, agnoſcitque quieta Tridentem;
Naiades interea, ſtrepitantibus ordine conchis,
In numerum doctæ ſaliunt, dantque oſcula remis:
Hoc tibi Neptunus pater ipſe dat omen eunti.
Sed jam te redeunte ſonat tuba læta, tuumque
Currit in adventum populus, Batavique Britannique
Amplexu miſcent animas; hinc inde ſatelles
Importunus adeſt, multoque ſuperbit honore;
Fit ſtrepitus, paſſimque omni diſcurritur urbe.
Qua tu cunque via graderis, tibi concrepat arma
Miles, quo viſo, bellorum ſeria pubes
In lepidos vertit luſus, pars altera victrix,
Militat Auriaco, pars hæc mentitur Ibernos.
Hic Latii vultus, tunc cum Capitolia Paulus
Scanderet, & vinctum ſpectarent roſtra Jugurtham.
Ergo age, Rex magne, & jam fronte oculoque ſereno,
Accipe, quas nectens vario de flore corollas
Dat Rhedycina tibi; poſſunt quoque ferre triumphi
Muſarum luſus, riſuſque, ſaleſque, jocoſque:
Sis precibus facilis noſtris, atque incipe tandem
Indulgere bonis, & totas pone ſecures;
Sat bello Martique datum eſt, ſat fulmine veſtro
Fata ſtupent, ſuperique, & territus invidet Orbis.

Ric. Triplett, è Coll. Trin.

TAntillum eſt viciſſe Anglos, Rex inclyte, amore?
Quin juſto armatum fulmine lerna tremit?
Qui Britones nutu, gladio qui vincis Hybernos,
Nunc uno gentes jure tuere duas.
Sic telo Æacidæ medico pugnaſſe juvabit,
Sic Tu magnus eris vulnere, major ope.

Rob. Bright, Coll. Omn. Anim. Soc.

Ex Hibernia Reditum.

MAgna tibi Belgæ, majora Britannia debet,
Plurima jure tibi labentia regna Juvernæ,
Omnia relligio tibi fert accepta, vigetque
Quæ ſedes priſcas victa pietate, reliquit.
Nox fugit alta, dies miſeris lætiſſimus inſtat
Quo pergrata ſalus: te diſcedente, timemus
Sollicituſque dolor dubitantia pectora turbat,
Te redeunt redita ſpes expectata Salutis
Solamen populo & ſtantis fiducia regni.
Incolumem ſervaſſe deos miramur ovantes,
Per varios caſus cœcique pericula Martis
Tu victor tandem compoſtus pace quieſcis.
Perge age, digna tuis monumenta laboribus addas,
Plurima adhuc, augens magnorum ſtemmata, avorum,
Longævæ numeres felicia tempora vitæ.
Macte ergo virtute, tua reparataque regna
Conſerva fretus ſecuro numine divum,
Indomitoſque regas, frænes loca neſcia legum;
Latum protende imperium trans Gallica regna
Subjiciaſque jugo pellens de ſede, tyrannos.
Dent tibi fœcundos thalamos, tibi ſpemque nepotum,
Dii votis faciles, queis ſacra potentia lecti:
Dent tibi progeniem, quæ ſceptra Britannica ſervet
Regnorum patris, patriæ virtutis & hæres.
Te duce, magne parens, ducemus cæde triumphos
Hoſtili; fuerit ſociis mirandaque noſtris
Totiuſque ſtupor rediviva Britannia, mundi.

Joh. Wright, è Coll. Mert.

SIquis erit Phidias; ſi quis Polycletus in ære
Nunc valet, & calamos quales optaſſet Apelles
Arrogat, ingenti ſceptro fictурus ad unguem
Sive Jovem, clypeo fortem ſeu mallet Achillem.
Pinge caput ſacrum, lata cervice lacertos,
Grande ſupercilium, frontem vultumque tremendum.
Alte aſſurgentem dextram, totumque Tonantem
Hic Batavis det jura ſuis, hic milite multo
Provocet in bellum Gallos, ferat inde Britannis
Auxilium, prece quiſque ſua dum clamat amica,
Per quodcunque ſacrum, per quæ tibi proxima adhæret
Junonem, per dextram, oro, relevare parata

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Quæ miſeros, miſerere, precor, miſerere Britannum,
Vix patrias retinet ſedes, ſanctoſque receſſus
Relligio primæva ſuos, perferre furentem
Nec Regem populumve potens, ſola pietate
Audax, & lingua, qua multum pollet, honeſta,
Dum nova, Niliaco nequaquam diſſona cultu
Increpat, annorum ſeriem ſibi ficta, phreneſis.
Hinc pelago obtruſos remos, hinc alta ſecantes
Æquora miremur proras, voceſque profuſas
Felix illa rates; felix qui duceris illa!
Sed quæ te capiet primum felicior illa
Tellus! & tangat, ſtupeatque Britannia tactus.
Tunc cadat impatiens frontis gens improba, tanto
Et ruat audito molimine, pignus amoris
Inde habeat, pretiumque ſuis amplexibus impar
Et longe indignum, toties, ſibi ſumat onuſtus
Imperium, precibus, charæ memor ille Mariæ
Ne ſponſa in thalamo jaceat viduata corona.
Protinus indigites quali conſumpſit Hibernos
Cæde, Ludovicus dum non minus obrutus hoſtis.
Hic labor hoc opus eſt; videor mihi cernere quali
Infremuit ferro, quotus armis, quantus in haſta
Quam Deus extiterat ratione, & voce Monarcha.
Flumina ſubſidant, fluctus vada priſca remittant
Boyna tui, nec quis credat te poſſe nocere
Huic, qui perdomuit mare, qui Rhenumque probavit.
Hinc tormenta ſonent rabie dimiſſa rebelli,
Hinc globus, & magno glomeratum pondere ferrum
Divinum auſurum pluſquam tetigiſſe lacertum
Si ſic Diis placuit; ſed non ſic tinctus Achilles
Noſter, ut Horrueret, jam totis calcibus unctus.
Inde acies variaſque vices depinge, Trophæa
Exurgant, ſtent ſigna fero de corpore cæſo
Nil tale auſuro dum viſque & vita manebat.
Nunc reducem laurumque doce, ſed nuntius ipſe
Accedat, ſed ſi vere ſua geſta profari
Quem velis, hunc adeas, quo non ſit ſanctior alter
Cum placeat coluiſſe aras; nec fortior, arma.

Ex Hibernia Reditum.

INnumeros inter belli paciſque triumphos,
Undique quos jactat Naſſoviana domus;
Tu, WILHELME, tuos patriis virtutibus addis,
Atque ipſos multo nomine vincis avos,
Jamdudum agnovit veſtras Germania laudes,
Jamdudum veſtram Belgia ſenſit opem,
Mox iterum ingenti bello concuſſa Juverna,
Mox iterum ſoſpes, te veniente; fuit.
Quid non cauſa valet? calcar pugnantibus addit,
Et facit, ut fortes fortius arma gerant.
Sed te difficili virtus commiſit arenæ,
Undique jam mærens Flandria poſcit opem.
Ecce ſuis Gallus fidens ſucceſſibus inſtat,
Et ſua, quæ voto præcipit, eſſe putat,
Jam mare, jam tellus, jam nobis Flandria ſervit,
Totaque jam noſtri eſt Anglia juris, ait.
Has voces Wilhelme feres? quam non dedit æſtas
Hæc, laurum primo Mars tibi vere feret.
Splendida Regalem jam cingit Laurea frontem,
Quam dederit læta terra Britanna manu;
Altera eam cinget, cum Gallia pulſa coronam
Præbet, & occiſo victor ab hoſte redis.

Car. Woodroffe, è Coll. Div. Joan. Bapt. Schol.

ILiacas Alii flammas, Thebanaque Vates
Bella & Jaſoniis inſignem Heroibus Argo,
Fictaque Pierio referant miracula cantu:
Nos propriis ſpectanda oculis, nos inclyta dextræ
Facta tuæ canimus, Princeps, quibus aurea tangis
Aſtra & cœleſtes famæ petis arduus arces.
Non te prærupti montes, non alta retardant
Flumina, ſed pergis, quo fata, aut gloria monſtrant.
Perge iterum, patrum & præſtent tua geſta trophæis,
Et ſi non Gallus nomen timet, arma timebit.
Quæ regio in terris geſtorum neſcia! ubique
Facta ſonant, famam quoque gloria terminat aſtris.
Marmora vel monumenta voret longæva vetuſtas,
At tua venturi vatum celebrata nepotes
Carmine facta legent, & ſero traditus ævo
Notus eris ducibus, decus exemplarque futuris,
Nullaque divinos delebunt ſæcla triumphos.

Sey. Gulſton, è Coll. Wadh. Commenſalis.

In Exoptatum Serenissime Regis

SAlve cura Deum, populi tutela Britanni!
Fulmineos Martis strepitus castrumque relinquens,
Pone supercilium belli; vultque sereno
Accipe parva precor tenuis munuscula musæ.
Dicite Pierides Wilhelmi dicite laudes;
Communes inter plausus & murmura vulgi
Dicite Jo pæan! victrici ornatus oliva
En vobis redit ille jugi Thema nobile vestri.
Quem pæane sacro quondam celebrare soletis,
Nunc iterum celebrate; novos agit ille triumphos.
Ecce redit tandem Wilhelmus gloria castri,
Qui nostram, sed non cunctando, restituit rem
Undique qua ignivomi spargebant vulnera bombi,
Atque viæ ad Manes ubi tot patuere silentes,
Ipse modo intrepidus stetit inter sanguinis æstus;
Et sua dum campis vexilla locavit Hibernis,
Præsidium castri, Wilielmus & ænea turris
Militibus fuit ipse suis ———
Quaque aderat princeps aberat timor omnis; & illum
Aurea laurigeris sequitur victoria pennis.
Marte per obstantes ruit en audacior ipso
Turmas, intingens effuso sanguine campos.
Ut nunc (quæ quondam sterilis solet esse) suorum
Pinguis ab ingenti fit Hibernia cæde virorum.
Nunc Wilhelme tua defleret imagine visa
Cæsar, namque tuas nunquam spes ulla daretur
Æquandi laudes; cujus victricibus armis
Instar Pellæi juvenis non sufficit orbis.

Joh. Merrick, è Coll. Di. Jo. Bap.

QUaliter Argolicæ stagna inter inertia Lernæ
Sternitur Herculea fertilis Hydra manu:
Frustra illi capitum crescit rediviva propago,
Centuplicique atras evomit ore minas.
Haud secus Hybernæ super avia cæca paludis,
Segnis ubi infido cespite terra tumet,
Milleno nequicquam horrent cincta agmine monstra,
Atque informe atrox tollit Jerna caput.
Nassaides iras frangit, turmasque rebelles,
A cunis doctus sternere monstra suis,
Jamque potens bello Herculeos superare labores
Fictum Geryonem Te, Lodoice, petet.

Tho. Byrom, Coll. Mert. Post.

Ex Hibernia Reditum.

CEdant Thyrſigeri victricia ſigna Lyæi,
Et quæ ſunt Circo Roma trophæa tuo.
Victor ab Heſperiis majori fulgurat orbe,
Quem jactat reducem Terra Britanna Jovem.
Salve Stator! Ades toto plaudente Theatro,
Conſcia Divinum concipit aura melos:
Lœta Maria tuis caſtis ſe ſolvit in ulnis,
Deque viri collo dulcis anhelat amor.
Tandem ait, heu quantas fundebam prona querelas,
Ne ſpes noſtra cadas, ne comes Alme tori!
Schombergus cecidit, lævum omen! veſtra timebam
Funera Schombergi mox ſubitura tui.
Et noſtra aſſiduis caluere altaria ſacris,
Addat ne Imperio te Libitina ſuo.
Victrix cauſa Deis placuit: rata (Magne) triumpho
Sceptra geras, Titulis cedit Jerna tuis.
Te licet imberbem Doctum ſtatuiſſe Trophæa,
Cladibus & Gallum ſternere, fama crepat;
Quem Cunæ jactare virum, maturior ætas
Heroem; Sapiunt jam Tua Tela Deum.
Perge Stuartanos ſpoliis ornare Penates
Pronus, & Auriacos crebra per Arma Lares;
Seu juvat indomitos Scotos laſſare ruinis,
Aut Turbare Tuos triſtis Jerne rogos;
Seu rabiem Galli ſociam Turcæque retundas,
Sentiat hic vires: ſentiat Ille tuas.
Macte animoque novis exurgat pegma triumphis:
Inchoet inde Æras Anglia Terra ſuas.

Ell. Anwyll è Coll. Jeſ. Art. Bac.

CErnis ut Angliaco Naſſovus milite cinctus,
Per Boinæa audax flumina ſcindit iter:
Necquicquam volitant alatæ turbine glandes,
Lambit & adverſas obvia flamma comas.
Naſſaides etenim intrepidus ripæ ardua ſcandit,
Hoſtileſque ſuo diſſipat enſe globos.
Quis ſolam credat Venerem ſpumantibus undis
Ortam eſſe? è mediis Mars quoque ſurgit aquis.

O *Petr. Wood* è Coll. Mert. Poſt.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis Ad Reginam.

ÆQualem poſcunt tum Sol, tum Cynthia cultum
Hæc noctem reddit; reddit & ille diem.
Alternis vicibus regni nova ſydera fulgent,
Diviſum imperium cum Jove ſponſa tenet.
Auſpiciis Gulielme bonis tu perfice curſum,
Accipit imperium Diva Maria tuum.
Sufficit in regni curas jam regia conjux
Quæ veſtro prægnans lumine clara micat.
Nec vetat hoc ſexus: videas ut in ore venuſto
Martia majeſtas diſſimulata latet.
Inſignes egit virgo Regina triumphos;
Novere imperium terra fretumque ſuum.
Plus juſto audacem fecit retro vertere claſſem
Hiſpanos, populos ambitione feros.
Macta dein Regina avibus ſuccedito dextris
Sentiat & veſtram barbara turba manum.
Gallorum Rex ipſe tremat, nec rurſus ad Anglos
Mittat jam teretes (arma jocoſa) pilas:
Altera tela minax, alios dabit Anglica Princeps
Mœnia qui quatient Pariſiana globos.
Tu Phœbe dum Phœbus abeſt tua lumina præbe,
Terra ſimul ſoles non capit una duos.

David Gwynn. Coll. Jeſ. Scholaris.

VOS quibus eſt ſtudium vivos depingere vultus,
Atque amor eſt facili toreumata ſculpere torno,
Nunc animis opus eſt, veſtras nunc promite vires.
Arte opus eſt veſtra, bellorum expandite pompas,
Ære renidentes acies, totumque per æquor
Scuta virum, gladioſque, & acuta haſtilia ferro.
Angligenum campis exercitus omnis apertis
Hinc ſtet, & adverſo glomerati ex agmine Hiberni.
Inter utramque aciem leni fluat agmine Boyna.
Signa canant, acies concurrant, impete quali
Una Euruſque Notuſque ruunt aut nimbifer Auſter.
Pingite ſanguineo ſpumantem flumine Boynam
Semineceſque artus, truncisque cadavera membris,
Signaque rapta ducum, fluctu volvantur eodem.
Dein niſi deficit ars impar, calamique recuſant,
Bellatoris equi tergo Naſſovius heros
Occupet adverſam, ſuperato gurgite, ripam,
Pars ingens belli, ante alios fortiſſimus omnes.

Sic

Ex Hibernia Reditum.

Sic quondam Æoliis Mavors insignis in armis
Bistonios impellit equos, in pulvere belli
Torvus, & impavidus; Non segnior urgeat ille,
Proxima quæque metens gladio medioſque per hostes
Sternat equos, sternatque viros, trepidantibus instet;
Tum demum Hiberni, nota regione viarum
Terga fugæ mandent, tectique paludibus altis
Se condant alii, ast alii dent pectus inerme
Vulneribus regis, Majore sub hoste perire
Optantes, cladem tantoque Authore levare.
Nunc opus est habili dextra; depingite scenam
Navalem, & classem spumas salis ære ruentem.
Neptunus liquidis canum caput exerat undis,
Nereideſque citæ, Phorcique exercitus omnis.
Mirentur nemus insolitum, pictæque nitorem
Classis, & in summo fluitantia lintea Malo;
Æquora sternantur; ponant sua murumra venti;
Et pater ipse manu Neptunus pellat euntem
Classem, discedens, & portu condat in alto.
Nunc vero cohibete manus, fuscoſque colores
Abjicite, & vanas vobis removete tabellas.
Quis globulos flammarum, & non imitabile fulmen
Exprimet, & lætos imitabitur ære triumphos,
Lætitiamque die, solenneſque ordine pompas
Qua belli exuviis clarum tituliſque superbum
Victorem Angliacis regem Deus appulit oris?

Carius Hoblyn Ar. Fil. è Coll. Exon Commen.

DUM procul obſervat Princeps hoſtilia Caſtra,
Deſignans facilem quo ferat arma locum;
En subito lapsum est per cœlos missile plumbum,
Perstrinxitque humerum vis peritura ducis.
Hinc manus impatiens oneris nota arma recusat,
Hostibus his nudam se putat esse parem.
Audet nec sumptis pugnam committere telis,
En etiam haud strictus quid potuit gladius!
Naturamque hostemque uno certamine fudit;
Victori illa suo cessit, & ille suo.
Servantur cives, hostes superantur; inermi
Hæc dextra; armatæ quid potuere manus?

Edv. Lambert ex Aulâ Cervinâ Com.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

QUalis miniſter fulminis aliger,
Viſis in alta rupe draconibus,
Accingit ad pugnam reclinis,
Attonitæ gravis hoſpes auræ;
Stipatus alis mille volantium,
Hinc inde præceps monſtra frementia
Collidit; inviſa feraque
Sternit agros animoſus hoſtis.
Talis ſupinis irruit hoſtibus
Cæſar, decoro ſanguine ſordidus;
Talis per imbelles catervas
Explicuit ſua victor arma.
Dum campus acri cæde Rebellium
Depurpuratus, meſſe ſua ſtupet:
Boynuſque mutato colore
Inſolita erubuiſſet unda.
Per te Britannum Nomen, & Angliæ
Crevere vires; impetus undique,
Et tela vel devota, tandem
Bruta cadunt, tibi deſtinata.
Alas benigno numine Jupiter
Lethi retardat ſollicitus tibi;
Hinc pergis incepto triumpho,
Innocuus ſine cæde victor.

F. Skrymſher Coll. Trin.

TE Cæſar, poſitis dudum colit Albion armis,
Et Regem agnoſcit Scotia læta ſuum:
Sola adverſatur, frenumque recuſat Jerna,
(Ah! Regum impatiens ſemper Jerna fuit)
Illa hoſtem recipit, Gallaſque infida phalanges,
Et negat Angliaco ſubdere colla jugo.
At ſimul Ultona intonuit Wilhelmus in ora,
Mirum! Quid tanti nominis horror agit;
Extemplo (ut timidæ milvo inſectante columbæ)
Hoſtilis trepidat turba, fugamque parat;
Pauca tibi, Cæſar, ferro expugnantur, & igni
Oppida; Victori pleraque nuda patent.
Jam tibi ſe tradit Juverna, diuque negatam
Damnat tam celeri deditione fidem.

Edm. Brickenden. C. C. C. Diſcip.

Ex Hibernia Reditum.

IMproba regali dudum Libitina triumpho.
Impune Hibernos late graſſata per agros
Sæviit: & longi movit tentamina belli.
Jamque dies infandæ aderant, quibus infera clauſtra
Diruta, Plutonis vires Stygiaſque phalanges
Conjuraſſe putes: ſonat æſtro impulſa rebelli
Loyolidum lymphata cohors: gravis imminet urbi
Sanguineo talos Diſcordia cincta cothurno,
Et furiis agitata ſuis; at ſævior illa
Relligio armatos trudens in prælia cives
Intonat horrendum, & dextra quatit arma minaci.
Jam regnat gladius, gladioque potentior omni
Inſani zelus populi rapit omnia ſecum.
Juverna ancipiti demum vexata tumultu,
Exitio propior, jam jamque futura ſuorum
Præda fremit, votiſque Deum gemebunda fatigat.
Proh! cladis monumenta novæ! fluitura per arva
Civili cerno ſanie temerata fluenta:
Civili cerno ſegetes pingueſcere tabo.
Colluvies furiata meos peregrina per agros
Exitium letumque tulit: teterrimus enſe
Imminet intento miles, crudelia poſcens
Vulnera, & exhauſto ſaturari ſanguine ferrum.
Ergo veni, Dux magne Veni: miſereſce dolores,
Tu gemitus miſereſce meos, gladioſque coerce.
Te ſequimur votis omnes, tua juſſa libentes
Perficimuſque; Tibi gens inclinata recumbit.
Nulla mora eſt: fido ſtipatus milite Princeps,
Et legum vindex, & diri fœderis ultor
Emicat: auratos videas per denſa volantes
Agmina Ductores, & late fluctuat omnis
Ære renidenti tellus; multuſque per arva
Fervet, & horribilem Mavors ciet undique pugnam.
Gratantur Proceres, junctiſque umbonibus omnes
Tutanturque fidem, libertatemque repoſcunt.
Urbs antiqua jacet, rapidæ quo effuſa Boandæ,
Procurrunt tumido ſinuantia flumina curſu,
Naturæ vallata manu, quæ collibus alta
Tollitur, & cœlo cognatas erigit arces.
Hic (mihi ſic etenim viſum eſt,) hic flumine rubro
Deſpicio undantem vallem, tantoque refertam
Aggere Cæſorum vix vallem. Araufius heros

Primus ibi ante omnes campo ſeſe arduus infert,
Ære caput fulgens, criſtaque hirſutus equina:
Atque agite ó ſocii: ſic ſtat ſententia: me me----
Hectorei ſocii: mecum tranſite per undas;
Nunc animis opus eſt Anglis: nunc promite vires.
Dixit: & in medium diverſa parte fluentum
Ingreditur, magniſque vocat clamoribus hoſtem:
Fortunamque ſuam per ſumma pericula gaudens
Exercet: vultu ſed enim Fortuna benigno
Allicit audentem, atque undarum ſublevat æſtu,
Ingenteſque animos auguſto in pectore verſat.
Subſidio ſocii dextra lævaque frequentes
Hinc atque hinc ſubeunt; multoque ſatellite cingunt,
Tutanturque Ducem, ferroque animoque paratum
Aſſerere ætherei jus immortale Monarchæ.
Tum vero exarſit miles Jacobæus, & alte
Horrendum intonuit diro Mavortius ore,
Livida nitra vomens, piceæque volumina flammæ.
Nec mo a, nec requies: ex omni parte cerebrum
Et ſaniem videas lento caneſcere fluctu.
Sternuntur paſſim pedites; truncataque membra
Seminiceſque artus cœlo jactantur inani.
Pontanæ teſtor ſylvas, multoque fluentem
Cæſorum tabo, mixtoque cruore Boandam:
Non tot Pellæum nec tanta pericula alumnum
Preſſerunt, Granici tranantem fluminis undas.
Nequicquam: extremas miles feliciter oras,
Fulmineum perpeſſus onus, Naſſavus anhelus
Scandit, & ultrices magno ſtant pectore curæ.
Continuo exoritur flagrans certamen, & ingens
Hinc atque hinc rabies; dum certum vincere utriſque,
Audentes in tela ruunt: ſtat multus ubique
Terror, ubique pavor, mortiſque ſimillima imago:
Confuſæque acies magno certamine totis
Denſantur campis. Quippe Hi nunc agmna verſa
Æquore agunt toto: verſis referuntur habenis
Nunc iidem, variantque vices; & fluctuat omnis
Area bellorum, vaſti velut æquoris undæ;
Si quando inter ſe recluſo carcere, ſæva
Bella cient animoſi Euri, vertuntque profundum.
Aſt medias acies inter, crudeſcit in hoſtem
Naſſavus, fervenſque ſuas in prælia turmas
Ducit, & attonitis paſſim dat funera campis.

Bellanti

Bellanti dant tela locum, retroque recedunt
Hinc atque hinc inimicæ acies: ruit Ille nefanda
Caſtra per & cuneos, & fidera territat armis.
Quem primum haſta, aut quem poſtremum maxime Princeps
Demetis, aut quot humi transfoſſa cadavera linquis?
Undique quanta tuum laceravit corpora ferrum?
Horreſcunt faciem inviſam, pedibuſque ſalutem
Corripiunt Gallorum acies, per littora paſſim
Diffugiuntque citi: alata diſtantia glande
Terga premit Naſſavus agitque volatile plumbum.
Implicitæque ruunt, noſtræque hoſtiſque phalanges.
Haud ſecus alta boves ſparſi per paſcua, ſi qua
Conſpexere lupum venientem, protinus omnis
Arva per & ſylvas rapido temeraria curſu
Turba fugit, quocunque licet: monteſque relinquit.
Parte alia infeſtis rapitur *Sarsfeldus* in armis
Tela per & gladios: & inexorabile ferrum
Obvia quæque vorans abſumit corpora letho.
Pronus in omne nefas, & qui neſciret in armis
Quam magnum, virtus, crimen civilibus eſſet.
Hic ubi quærentes ſocios jam Marte relicto
Tuta fugæ cernit: Quo vos pavor inquit adegit
Impius? Hæc nobis accedit Gallica virtus?
Proh! vernæ turpes! ſervum pecus! abſque cruore
Terga datis morti? audaci confringite tela
Pectoris incurſu, jugulique retundite ferrum.
Scilicet è cunctis per quos irrumperet hoſtis
Nos ſumus electi? Non parvo ſanguine, ſi quid,
Iſte dies, bello poſſit *Sarsfieldius*, ibit.
Dixit: & ultrices hortatur in arma cohortes,
In ferrum & cædes pronus, cupiduſque nocendi,
Incautaſque ambas perdit ſine lege phalanges.
Dumque hoſtes cernat pariter procumbere victos,
Ipſe ſuos hoſti indefenſos objicit ultro.
Olli tum primum repetito funere laſſus,
Ac denſos inter cuneos compreſſus, & omni
Vallatus bello, multiſque in millibus unus
Objicitur multo Schombergus ſquammeus auro.
Illum tota premit moles, illum omnia tela:
Parque novum Fortuna videt concurrere bellum
Atque virum: fortis crebris ſonat ictibus umbo.
Nec mage quam ſtipulis, telis actiſque per auras
Miſſilibus, geſumque manu criſpante movetur.

In Exoptatum Sereniſſime Regis

(Sic toto prædata mari Balena Britanno,
Plurima quam jaculis & adunco nautica ferro
Turba petit, rigida colli cervice ſuperbit,
Attollitque jubas; & qua via cunque per undas
Triſtia feſtivis ſternit ſibi cuncta triumphis.
Ingenteſque toros oſtentat, & ardua, neutram
In partem nutans, ſolida compage tenetur.)
Hunc numeris obſeſſum, & circumquaque relictum
Egregium ſane facinus! magno impete ferri
Et peditum cuneis, denſaque indagine cinctus,
Audax à tergo aggreſſus *Sarsfieldius* heros
Libratum intorquet, defixumque altius enſem
Schombergi in jugulo, Schombergi in corde recondit.
Volvitur Ille excuſſus humi, magnaque madentem
Fronte ferit terram, & craſſum vomit ore cruorem.
Tum vero exoritur clamor, ripæque lacuſque,
Terribilique procul ſonuerunt aſtra fragore.
Incaluere animis parte ex utraque & in armis
Concurrunt denſi: fortes animoſus in iras
Aſſurgit Naſſavus, ovantique omnia dextra
Pervolat, immiſcetque neces & vulnera ſpargit.
Sicut ubi dextrum taurus certamine cornu
Amiſit, dum ſe adverſo fert pectore in hoſtem,
Sævior in pugnam ruit, armos, pectora, & alte
Colla animoſa levans: gemitu nemus omne remugit.
Haud ſecus ardentemque apicem, criſtaſque comantes
Oſtentans, dextra Henricus levaque per alas
Fulminat, atque animum vocemque ad ſidera tollit.
Quis cladem fando, illius quis funera pugnæ,
Proſtratoſque duces, ſperet ſe æquare canendo?
Ipſa ſedet Bellona, truces auriga jugales
Ipſa agit, æratis & ſulcat terga flagellis.
Has inter populi clades, & dira cadentum
Funera, poſt varios bellique fugæque labores:
Forte truci perculſa ſono, armorumque fragore,
Excita, ſupremi admirans è limite cœli,
Naſſoviæ ſemper facilis Victoria genti,
Deſpicit innumero tumulatos milite campos,
Et belli ſegetem Hibernos undare per agros.
Nec mora: pacatis purum per inane quadrigis
Evolitat, genios momentaque grandia ſecum
Latura, & magnos Henrico afflabat honores.

Illius

Ex Hibernia Reditum.

Illius adventu tremefacta Hibernica tetro
Agmina diſcedunt, fugientia poſſidet altas
Caſtra pavor: verſiſque fugax aufertur habenis
Indignans multum *Sarsfeldus*: terque profundum
Murmurat, & fracto nequicquam dente coruſcat.
Imminet à tergo Nemeſis: denſaſque phalanges
Huc aggreſſus & hunc Gulielme impellis, & inſtas
Vi magna, inſiſtenſque operi ruis, irruis, omne
Disjicis oppoſitum, celeriſque repagula mortis.
Protinus aufugiunt pacati finibus orbis
Improba vipereos quatiens Diſcordia crines,
Et titubans Pavor, & lugentia monſtra Dolores.
Agnovit ſignum inviſum, atque ululatibus auras
Horrendis implet belli civilis Enyo,
Accenſoſque furens peritura incurrit in ignes.
Pax colit alma ſolum: certant tamen uſque viciſſim
Genſne magis Regem beet, an Rex providus illam.

Tho. Hanſon, è Coll. Magd. A.B.

JAm bello aſſueti *Britones*, durique *Batavi*,
Auſpiciis Divum, & *Gulielmi* numine læti
Vela dabant Euris, & cærula dorſa premebant:
Juvernæ inſidias jurati, & perfida corda
Rumpere, & infeſtas *Celtarum* frangere vires.
Senſit ut urgeri tumidum ſub navibus æquor,
Et caſtigatos latè jam fervere fluctus,
Extulit os Nereus, glaucæ patrem undique Nymphæ
Luxuriant circum & Tritonum ignobile vulgus.
Pacatis, ſurgente Deo, mare conſtit undis,
Et cecinit ſic Fata futuri præſcius Augur.
Omine non vano, divinis inclyte Bellum
Auſpiciis, *Gulielme*, geris; *Tibi* bellica Virgo
Militat, & jurat Pater in *Tua* claſſica Mavors.
Inſervit Fortuna *Tibi*, *Tua* tempora palmæ
Ambit Honos, ſpondetque ſequax Victoria laurum.
Qualem *Te* aſpiciam! quam pulchra fronte decorum!
Cum Reducem exultans cantuque choriſque ſecundis
Albion excipiet, vinctum pacalis Olivæ
Fronde comam, & Lauri ſemper creſcentis honore:
Qualis eris! lœti cum *Te* vaga Pompa Triumphi
Excipiet, raucoque ſonantia littora plauſu;
Auritis fremitum ingentem *Deva* hauriet undis,
Laſcivoque ſtrepens volvet circum oppida fluctu.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Quot ſævæ mortis facies, quantique labores
Te, *Juverna*, manent? cum mox ſolido excita fundo
Tota tremes, motique lacus immane ſonabunt?
Quantus erit tum Sudor equis! quantuſque rebelli
Hyberno Francoque labor! cum vividus ardor
Auriaci albentes *Senonum* teget oſſibus agros,
Et rapidam impediet numeroſa ſtrage *Boandam.*
Salve fulmen atrox belli, *Schomberge*, ſenectam
Si tibi maturam Fatorum ferreus ordo
Et dura injuſte volventes penſa ſorores
Siqua concedent--- verum nec inulta jacebit
Umbra, ſed ingentem ſecum trahet ampla ruinam.
Io! fuſa ruunt retro agmina, fervidus inſtat
Cæſar, & infractas vetat inſtaurare phalangas;
Qualis *Boine* rubes captivis decolor undis!
Oppletus cumulis morientum, & cœde cruenta,
Et vitrea atrato mutatus flumina tabo.
At Tu, qui fiſas peregrino milite turmas
Ducis ovans necquicquam, & vano Marte ſuperbis,
(Pollicitus meliora Tuis) per devia rura
Effugies expers animi, horrebiſque tonantem
Auriacum, nimboſque equitum, peditesque ruentes.
Sic ferus Idomeneus Graiis ſocia agmina miſcens,
Et validis Teucris multa ac metuenda minatus,
Effugit curſu paviduſque & præpes anhelo
Hectoreis ſociata Tonantis fulmina Telis.

Br. Bridges, Ædis Chr. Alum.

O Ingens *Heros*, O tot defuncte periclis,
Ergo iterum victor noſtris allaberis oris?
Atque os belligerum, torvumque in prælia numen
Exuis, & blanda componis regna quiete?
Ergo iterum placida moderaris voce Senatum?
Oraque divinum ſpirant jam mitia lumen?
Non ſic cum trepidos ageres violentus *Hibernos*,
Cum bello exultans fremeres, enſemque rotares
Immani gyro, rubris bacchatus in arvis
Invitus: (neque enim crudeles edere ſtrages
Te juvat, aut animis Ditem ſatiare Tuorum.)
Sic olim amplexus Semeles petiiſſe Tonantem
Fama eſt, terribilem nigranti fulmine & igni;
Maluit hic charis accumbere mitior ulnis;
Sed vetat ô propriæque obſtat non cauta ſaluti,

Inque

Inque ſuam invitum trahit inſcia Nympha ruinam.
Tu tamen ô toties *Wilhelmi* aſſueta triumphis
Calliope, ô nunquam Heroum non grata labori,
Wilhelmi immenſos iterum enumerare triumphos
Incipe, & in notas iterum Te attollere laudes.
Ut requiem, fœdæque ingloria tædia pacis
Exoſus, rurſuſque ardens in Martia caſtra,
Sanguineaſque acies, fulgenteſque ære catervas,
In bellum ruit, atque iterum ſe miſit in arma.
Gallus enim ſævit miſeroſque cruentus *Hibernos*
Servitio premit, & victa dominatur *Ierne*;
Hinc Furcæ, Tormenta, Cruces, tractæque Catenæ
Horrendum ſtrident: iterumque reſurgere credas
Macquirum ſquallentem, atque *Anglo* ſanguine fœdum,
Exultantem immane, & vaſta clade ſuperbum.
O Gens lethifero nequicquam exemta veneno,
Fruſtra Bufo Tuis & Aranea ceſſit ab oris,
Dum pecus *Ignati* inviſum, fœdique cuculli,
Et *Monachi* ſancte protenſo abdomine tardi
Viperam inſpirant animam, inficiuntque veneno.
Aſſurgit tandem *Schombergus* & emicat armis,
Qui juga captivo excutiat ſervilia collo:
Sed fruſtra; ſecuro hoſtis munime valli,
Aut latet, aut errat vagus, eluditque ſequentem.
Augendis reſtat *Gulielmi* Celta triumphis,
Vindiciis ſemper *Gulielmi* fata reſervant
Et vincla eripere, & manibus divellere nodos.
Sic fruſtra Atrides, fruſtra Telamonius Heros,
Ad Trojam fruſtra pugnarunt mille carinæ,
Nec niſi Achillea funduntur Pergama dextra.
Ergo, *Boanda*, Tuis ſplendet *Gulielmus* in arvis,
Magna *Boanda*, ipſi fama haud ceſſura *Moſellæ*.
Ut major graditur bello, ut jam gaudia in igneis
Scintillant oculis, & toto pectore fervent!
Quantum olli jubar affulget, quæ gratia frontis
Purpurei metuenda, & non inamabilis horror.
Sic cum demiſſum fertur per nubila fulmen,
Et juvat & nimia perſtringit lumina flamma.
Ut volat, ut longe primus rapidum inſilit alveum,
Turbine quo præceps cunctantem tendit in hoſtem?
Dum vaſtas ſtrages & multa cadavera paſſim
Amnis purpureo late devolvit in alveo.
Dum pergenti obſtat moles immenſa Suorum,

Et torpet miſto concretum ſanguine Flumen.
Pergit atrox Heros, fruſtra Olli tempora circum
Spicula mille canunt, luduntque in vertice flammæ:
Fruſtra haſtatæ acies obſtant, firmæque phalanges,
Fruſtra *acres Celtæ*; furit ille, atque impiger hoſtes
Et fugat, & ſternit, totoque agit agmina campo.
Verſus retro hoſtis trepide fugit, inque paludes,
Torpenteſque lacus cœno, horrendoſque receſſus
Dumorum; & cæci prodeſt injuria Cœli.
Attamen ô, non ſic fauſto movet alite bellum
Schombergus, non ſic nobis favet alea Martis.
Occidit heu *Schombergus* iniqui crimine cœli,
Non illum vernans circum ſua tempora laurus
Conſervat, non arcet inevitabile Fulmen.
At nunc ad cœlum fugit, & pede ſydera calcat,
Spectat et Heroes, ipſe & ſpectandus ab illis.
Hunc dicet veniens ætas, ſerique Nepotes,
Et quicunque *Anglum* audierint rugire *Leonem*.
Cœpit enim rugire, & jamjam ad mœnia victor
Caletana fremit trux, *Dunkirkumque* repoſcit,
Creſſeas iterum lauros magnique trophæa
Henrici repetit: media *Lodoicus* in aula
Jam dudum tremit, & *Gulielmi* ad nomina pallet.

Edm. Smith, Ædis Chr. Alum.

GAllia, & heu nimium vicina Britannia, magni
Cæſaris infracto ſuccubuere jugo.
Pontus adhuc vincenda manet: Se trajicit Heros,
Debellatque oculis; Advena Victor abit.
En novus a Batavis Cæſar compeſcuit Anglos,
Juvernæ ad fines protinus arma movet.
Noluit hic nimio ſtaturum ſanguine Martem,
Alea jacta: dabant ſe Rubiconis aquæ.
Tranſiit, & vicit: non enſis, fulminis ictu.
Barbara gens trepidat, dum Jovis ira fugat.
Nec mora Dux rediit, Fama velocior ipſa,
Ut properet Palmæ nuncius Ipſe ſuæ.
Summus Uterque Ducum. Si quid diſcriminis, hoc eſt;
Hic Romam Patriæ ſubjugat, Ille ſibi.
Diis placuit, placeat jam victrix cauſa Catoni:
Cæſaris Hic, Hujus Cæſar Amicus erit.

Baſilius Kennet, Com. ex Aul. S. Edm.

Ex Hibernia Reditum.

BOiniades Nymphæ, teſtes ſociæque doloris,
Quos gemitus imo dederit de pectore, ſurdis
Carmina quæ ſcopulis nuper jactarit Jerna
Sparſa comam, atque ægre coeuntes ſciſſa lacertos,
Dicite, nam veſtræ didicerunt carmina ripæ.
Jam reditum properans operi inſtat nautica pubes,
Caſtigatque moras, ſtudio undique littora fervent:
Jamque omnes hilares altum tenuere, piumque
Læta ſuo excepit Naſſavum pondere puppis.
Vidit ut à portu claſſem diſcedere Nympha,
Proſequitur lachrymans oculis abeuntia vela,
Non reſponſuris & jactat talia ventis.
Crudelis ſolam deſerto in littore amantem
Liquiſti? nec te ſervatæ tangit Jernæ
Cura? nec hos nitidos fletus qui turbat ocellos?
Flecte ratem jam ſæve hoſpes, da linea retro:
Nonne vides puppim invito contendere ponto?
Jam læſam damnare fidem? noſtrique miſertam
Ad mæſtaſque preces, atque ad pia vota reflecti?
Flecte ratem; veteres abeunt cur pectore flammæ!
Quid mutatus amor? cur nunc tua ſordet Ierna?
Ut inemini nuper, tibi nigro pulvere turpis,
Dum ſanie, craſſoque fluebant ſanguine vultus,
Deformis placui: niveo mox pollice triſtes
Deterſi lachrymas, luſtrales ore geniſque
Diluerant Lymphæ ſordes, atrumque cruorem;
Compoſuique rudes numeroſo dente capillos:
Si me non, vidi quam flumine, fallit imago,
Tum tibimet certe merui formoſa videri.
At mutatus amor nunc & tua ſordet Ierna.
Quod ſi pulchra tibi, tantum miſeranda, fuiſſem
Si placui laniata genas, ſpoliata capillos,
Reſpice nunc miſeram, nunc reſpice mitis Jernam,
En ſparſos crines! facies quam pulvere pulchra!
Ut radiat nitidis imber lachrymoſus ocellis!
Hei mihi cur pacem, cur otia lenta dediſti?
Quid mihi compoſiti motus aut otia proſunt?
Quid ſine Te niveis præſens Pax optima bigis?
Si tibi ſunt potius ſtrages, & prælia cordi,
Si gemitus cæſorum, atque undante ſanguine campi:
Hoſtiles coeant acies, cito prælia, flammas
Commiſcete viri, miſeranda cæde ſuorum

In Exoptatum Serineſſime Regis

Sit jam deformis, nec ſe tua noſcat Jerna;
Dummodo Tu noſtris aderis mitiſſimus oris.
Fiſtula, Paſtores, ramo pendebit in alto,
Fiſtula muta, gregi quæ conciliavit amores,
Sæpius & torvos tenuit modulamine tauros.
Tityre, cui tenui meditaris arundine Carmen?
Ludere qui calamo modo te permiſit agreſti,
En abit, æternumque vale, vale, inquit, Jerna,
Abſtulit & ſecum diſcedens gaudia ruris.
Vivite, vos vituli duo fulva pelle decori,
Vivite creſcentes, nunc non, quod ſæpe minabar
Devotus veſtrum cruor illius imbuet aras.
Vos ô, quæ fragili pendetis in arbore, poma,
Vos fælices uvæ, & opimi germina ſucci,
Arbore nunc ſemper putres pendete gementi:
Dixi ſæpe feram domino vos munera grata,
Stulta ego ſic dixi: aſt illum per cærula venti
Crudeles rapiunt, meaque irrita vota per auras.
Vos o, laſcivo qui nunc ſuper æquora ſaltu
Luditis, adverſo nitentes flamine, venti;
Naſſavum noſtras linquentem, ſiſtite, terras:
Sic neque dum luſu vos per mea regna meatis,
Veſtris nigra palus noceat teterrima odore
Naribus, aut laſſas aſpergine prægravet alas.
Vana loquor: mea vota minans, & murmure rauco
Excipit iratus Zephyrus, dominumque patremque
Faſſus; fælicem prope puppim pendulus hæret,
Et molli tremulas afflatu lævigat undas.
Me miſeram! quid plura loquor! vocat Anglia Regem
Invida, & heu numerat promiſſas anxia Luces.
Quam vellem tecum latum tranare per æquor!
Quam jungi noſtris Brittannica littora ripis!
Te, fœlix, reducem exceptum, Naſſave, viderem
Civibus, & ſacræ numerem data baſia dextræ:
Hærerem quam fixa, tuam mirata Mariam!
Quos vulgi audirem plauſus! quam læta viderem
Herboſum Thameſin vitreos attollere fluctus,
Vixque exundanti retinentem gaudia ripa!
Sed quid ego infœlix hæc irrita ſomnia fingo?
Ecce Meum Naſſavum Auguſta per æquora puppis
Eripit ex oculis, & ſum mihi ſola relicta.

Joh. Heron, A. B. Ædis Chriſti Al.

Ex Hibernia Reditum.

A Deſte cæleſti Aonides choro;
Longaque feſſum militia Ducem,
Multoſque perpeſſum labores
Pierio recreetis antro!
Vos nomen ingens ſideribus procul
Inſcribite altis; dicite Cæſaris
Laudes: triumphalique lauro
Veſtræ hederæ vireant ſequaces.
Sed quæ triumphos carmina Cæſaris,
Quæ dicat apte Muſa potens lyræ
Wilhelme virtutes decoras
Totve tuos celebret labores?
Quis ſcribat? O qua Sol habitabiles
Illuſtrat oras, Maxime Principum!
O qui ducum es! O qui caduci
Grande decus columenque mundi!
Quid Marte poſſis teſtis Hibernia,
Buvinda teſtis, cum prope decolor
Strages Hibernorum, & cadentum
Scuta virum galeaſque volvit.
Auditis! an me ludit amabilis
Imago Pompæ, jam videor Ducum
Andire plauſus, jam frementes
Atque equitum peditumque turmas,
Jam cerno vaſto Cæſar ut unicus
(Pluſquam agmen) hoſtes fregerit impetu;
Jam cerno denſas ut phalangas
Fulmineis agitarit armis.
Buvinda qualis (ſæcula in omnia
Æterne pugna hac) cum nivibus ſatur
Deſævit, & præterfluentis
Regna procul populoſque ſternit
Errore Lymphæ, per juga defluit,
Perque arva late volvitur æſtuans;
Una domos ſtirpeſque ſecum
Corripit, & lapides adeſos.
Talis ſuperbis hoſtibus irruit,
Ferrata talis contudit agmina, &
Late per obſtantes catervas
Explicuit ſua Cæſar arma.
Poſt Te Duces me Muſa jubet loqui,
Jubet Duces ut carmine concinam:
Quos inter O Schomberge honores
Magne refers merituſque primos.

Quos

In Exoptatum Sereniſſime Regis

Tu quantus in certamine Martio!
Quem plena rugis experientia
Reddit Ducem, & curæ ſagaces
Expediunt per acuta belli,
Sed Te Deorum ſedibus intulit
Excelſa virtus, gloria nobilem
Evexit, & fulvo beatum
Ire jubet ſuper aſtra curru.

Hen. Stephens, A. B. è C. C. C.

O Qui lethifero ſceleratam exſcindis Iernem
Ferro, quem dominum Gallica ſceptra tremunt:
Cum tua ſemianimum quaſſarent claſſica mundum,
Credidimus cœlo detonuiſſe Jovem.
Multa ſed Altitonans ſine ſanguine fulmina ſpargit,
Cæſaris Angliaci ſanguine nulla carent.
En veluti Mavors repetit Threicia curru
Mænia ſublimi, tela cruenta gerens,
Sic redit Auguſtus, quem tu regina triumphis
Defeſſum, gremio, magna Maria, foves.
O foveas ſemper, ſemper ſatieris amore,
Ut nunquam violent turbida bella torum.

F. G. A. B. è Col. Pem.

Ροῖβος ὑθ' Εσπερινὴν ἀπολείψατο ὄρθιος εὐνήν
Μέμνων ἀφθόγγος πρὶν, μάλα φθόγγον ἱῇ.
Αγγλιακοῦ οὕτως ἀποδίδοτο νόστος αὐτήν
Φοίβου· ἐνέργειαν φάμεν Ἄριστε τεήν
Χαῖρε μάλ' ἡμετερῶν κύδιστε μέγιστε Ανάκτων
Εχθρῶν θαῦμα· φίλοις ἀνδρασὶ ἐλπὶς ὅλη.
Ως γὰρ μάστακ' ἕλων ὄρνις προφέρησι νεοσσοῖς
Απτίλους θάλπει καὶ πτερύγεσσιν ἑαῖς.
Σὺ καὶ ἀλεξίκακος καὶ μὲν σωτήριος ἡμῖν,
Εξέλθης Σκιπίων σὺ Σκιπίων τε νέεις.

Joh. LLoyd, è Col. Jeſu Scholaris.

Ad Hibernos.

CAntet Io Pæan, modo triſtis, cantet Ierne:
Quæ **Lyra* jam cantet geſſit, Hiberne, **Leo*.

Jacobus Stillingfleet rev. admodum in Chriſto patris Epiſcopi Wigorn. fil. Coll. Wadh. ſuper. ord. Com.

* *Lyra* Inſigne Hibernorum, ut *Leo* Belgarum & *Leones* tres Anglorum.

Ex Hibernia Reditum.

QUalem te quondam fælicibus Anglia bellis
Novit, jam talem ſentit Jerna ducem.
Congreditur tantis quis non conatibus impar?
Injecit nullam terra, nec unda moram.
Pellæo juveni Granicus quas præſtitit olim
Laudes, inſignis jam tibi Boina dedit.
Mænia nulla tuas potuere repellere vires;
Cuncta ſub auſpiciis ſuccubuere tuis.
Non prius ad bellum cecinit, quam vincitur hoſtis:
Nam pulchrum eſt veſtro tradere colla jugo!
At poſt tot ſtrages, poſt tot diſcrimina vitæ,
Quam tua te reducem Patria læta videt?
Sic, cum langueſcens tenebris exhorruit Orbis,
Spargit in Eois lumina Phæbus aquis.
Nil Jacobæa domus, nec Gallus terreat hoſtis;
Præſenti fruimur, te redeunte, Deo.
Rege, an Regina fælicior Anglia? regna
Dum parat Hic fælix, Hæc bene parta regit.

Rad. Newham
Art. Bacc. Coll. Ball.

ESto, freti rapido pulſentur littora fluctu,
Et ſævus miſtas concitet Euras aquas,
Attamen Angliacas tuto Wilhelme, revifis
Terras dum pietas fecerit ipſa viam.
Salve igitur, Princeps Regum celeberrime, ſalve,
Miretur nomen mundus uterque tuum.
Si creſcente ævo geſtarum gloria rerum
Creſcat, erit tandem nil quod in orbe geras;
Aut Deus immenſi fines tunc proferat Orbis,
Aut poſitis armis ſit capienda quies.
Nunc merito metuant Galli, metuantque rebelles,
Nam luce Ætherea Climata noſtra micant:
Sol modo qui vultu nebulas diſperſit Hibernas
Jam nobis, radios præbet, ut ante ſuos;
Des, Pater, ut triſtem nunquam patiatur Eclipſin,
Et ſero æquoreis, ſac caput, abdat aquis.

Cox Coll. Wadh.
Scholarius.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Troia dum ſequitur Peleides agmina, curſum
In Xanthi medias impiger urget aquas.
Dat ſtragem ingentem; prono cadit ore Lycaon,
Maternoque jaces, Aſtropæe, ſinu.
Protenus at rapido in cumulum ſe vortice tollens
Flumen, Achilleos Cedere cogit equos.
Major in adverſos *Tu* tendis, *Cæſar*, *Hybernos*,
Nec victrix patrias unda tuetur opes.
Per fluctus aciem cum *Tu* ſequereris inertem,
Conſtitit imperium *Boinia* faſſa tuum.
Nec plures Patroclo animas devovit Achilles,
Schombergo dederis quam, *Gulielme*, *Tuo*.
Illum autem tutis Vulcanus cinxerat armis,
Tu nudo intrepidus pectore bella moves.
Profuerat notos nimirum oſtendere vultus,
Conſpectaque magis fronte timendus eras.

J. Richardſon Æd. Chriſti Al.

Κοσμȣ χαῖρε κλέος, Καῖσαρ, μέγα χάρμα Βρεταννῶν,
Αθανάτοις, Καῖσαρ, φίλτατε χαῖρε θεοῖς.
Τί Ελλὰς καυχᾶσαι ἐϋκνημιδας Αχαιοὺς;
Ολβιος Αρήτων Αγγλος ἄριστον ἔχει.
Ελλήνες ἐπὶ τῆς Τροίας πτολίεθρον ἵκοντο,
Δὶς γίνετο τέκμωρ πενταετία μάχης.
Σὺ λείπων, Βασιλεῦ, νῦν γαῖαν πατρίδα, πολλὴ
Νῦν ἔπεσεν χερσὶ σαῖς, μεγάθυμε, πόλις.
Δείδομεν οὐκ Γαλλοὺς, ἄλλους οὐδ' δείδομεν ἐχθροὺς
Ατλας καὶ πύργος Σὺ, Γυλιέλμε, λαὼν.

Rob. Newton Ex Aul. Cerv. A. B.

SErvatum Leges debent Tibi, *Cæſar*, honorem,
Et per Te ſalvam libera Templa fidem.
Quod Victor redeas, Patriæ donatus, & Aræ,
Hoc Tibi devincto de Jove, Cæſar, habes.
Non ingrata ſinet Nobis ſua Numina dici,
Se ſalvum meminit, Muneris eſſe *Tui*.
Obſtrictas tandem, Te ſoſpite, liberat Aras,
Abſolvitque ſuam, Te Redeunte, fidem.
Jupiter, & *Cæſar* rivalia Munera miſcent;
Hic Regem ſalvum præſtitit, *Ille Jovem*.

Jo. Cooke ex Æde Chriſti.

Ex *Hibernia Reditum.*

Ad Reginam.

NOn jam præſtantem cantabo in corpore formam,
Nec roſeum niveo quod nitet ore decus.
Me majora vocant; adſit mihi Martius ardor,
Qualis Fæmineas cogit ad arma manus.
Apparet major criſtatæ gratia frontis,
Et cinctum rigido pulchrius enſe latus.
Hæc belli facies, præſenſque in pectore virtus
Teſtantur quam ſis *Conjuge* digna *Tuo.*
Ille inter medias quærit nova regna phalangas;
Tu, (neque laus minor eſt) parta tuere domi.
Nulla *Viri* poterat ſuccedere dignior armis;
Nec quiſquam thalamis dignior eſſe *Tuis.*
Nulla pares adeo vidit virtutibus ætas;
Nec tam fælices finxit avita Deos.
Rumpit *Juno* ſoror, quæ *Jupiter* otia fecit;
Et fœdat *Cypriæ Mulciber* ora Deæ.
Quæ vos junxerunt quam ſunt fauſta omina? *Mavors*
Quam bene conveniunt, Et *galeata Venus?*

H. Henchman. Æd. Chr. Alumnus.

CUm ſtrepitum ediderit belli furialis Enyo
Inter Hiberna trucem pecuaria, magnus ad altum
Fulmineoque hoſtes protriverit enſe Boandum
Wilhelmus, Britonumque ſalus, Martiſque propago;
Verterit inque fugam Gallos hinc inde comatos
Præcipitem, & rigidos una vexarit Hibernos;
Cumque alias alius palmas porrexerit orbis
Anglo victori domitus, feſtoſque triumphos:
Crimine quo meruit Britonum gens inclyta, divum,
Deliciæque tuæ, Neptune, tricuſpide telo
Qui quatis & valles, quatis Enceladique cubile,
Ut toties victo concederet æquora Gallo?
Quove errore tuis viſa eſt indigna favore,
Auxilioque, tuas premeret cum claſſibus undas
Tourvilius, dorſumque urgeret mole ſuperba?
An placet imperium Gallis tellure negatum
Cerulei conferre maris? ſed fata vetabunt

Et

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Et Britonum virtus. Si viſum eſt margine ponti
Angliaco ſervum pecus oſtentare, penates
Quod fugit inviſos, & patria numina, laudo;
Sic data quæ noſtris ludibria debuit oris.
Nec, ſi nolueris palmarum pondere dium
Wilhelmum obruere, & nimiis onerare triumphis,
Conqueror; (& damnis virtus accenditur ipſis)
Nec dolet exhibuiſſe Anglis, quam digna Maria
Eſſe videretur ſceptroque & corde, Britannum.
Seu noſtris ſævum propellere finibus hoſtem,
Sive etiam hoſpitio prohibere placebit arenæ,
Infelix olim cui paruit unda futura;
Seu querula & Gallum ſpirantia pectora crimen
Imperio premere, & vinctis & carcere fræna
Injicere, & ſanctum velit edomuiſſe furorem;
ſeu pacis bellique ſuis, dare jura Britannis,
Littora tuta magis ſibi prædatrice petenti
Claſſe; (ac ſi Angliacam furtim ſuperaſſe puderet:)
His par officiis ſpectabilis arte regendi eſt
Egregiiſque animi donis formaque Maria;
Quam credo, nec vana fides, genus eſſe deorum.
Et tu, ſi ſalſum fas deſeruiſſe cubile,
Et Thamiſin ſulcaſſe putes, regnique Britanni
Londinum petiiſſe caput, quo tempore noſtræ
Inſulæ in obſequium cedet glacialis Ierne
Tota, nec obſtabunt Limerici mænia, circum
Et jam quaque volet madidis victoria pennis:
Quum videas pulchram, magna ſtipante caterva,
Vocibus & feſtis populo plaudente, Mariam;
Vix, pater, eſt, ut non clamaveris, ô dea certe!
Regia cumque ſimul Conſpexti conjugis ora,
Dic Martem Veneremque Britannis ponere Leges.

Bernardus Brownham
è Coll. Reg. Art. Bac.

Ex Hibernia Reditum.

ASpice ut Hibernis enitens Cæſar ab oris
Tranquillos facit ire dies! hyememque nigrantem
In Latebras agit, & revocat ſub jura procellas.
O blandæ Luces! ô tela beata diei!
Salvete ô reducis ſolatia dulcia vitæ!
Anglorum ô ſalve columen! Tibi fata dederunt
Pierias laſſare tubas, meliuſque ſonantum
Vatum ora, & celſis Laudes extendere factis.
Te duce, ſanguineo minitans Bellona flagello,
Compreſſit violenta minas; non jam ægide pectus
Horrificat, ſquamiſve jubet denſarier aureis;
Sed tyrias oſtentat opes, ſaturataque multo
Murice, Jernales graditur trabeata per urbes;
Aurea victrices cujus dum Gloria bigas
Inſtruit ad currum Telluris colla Mariſque
Illigat, & domito late ſpatiatur in Orbe.
At tutum interea delectant arva colonum;
Qui viget, atque ſui ridet cum gramine campi;
Dum lætas valles, multoque cadavere pingues
Cernit, & hoſtili fecundam ſanguine Meſſem.
Hinc placet in molli florum diſcumbere Lecto,
Et recitare ſui flagrantes pectoris æſtus:
Et ſubitos cordis pulſus, gemituſque frequentes:
Inſomnes noctis curas, & cætera Amoris
Tœdia, mille modis ad amicæ Phillidis aures.
Nunc etiam in pratis (placidi conſortia Lecti!)
Una concumbant iterum bos atque Bubulcus.
Qui dum conjungunt repetitis oſcula Labris
Inque vicem alterius cupiunt relevare dolores,
Affines memorant ortus, cognataque mole
Corpora; nec multum tandem differre videtur
Utrum dicatur Bos ille, vel ille Bubulcus.

Joh. Sherwood è Coll. Ball. A. B.

QUam Graia diro Marte ſuperbiat,
Et Quam Juventus geſtiat Itala,
Quos extulit præceps domandæ
Gentis amor pariterque Famæ
Remitte fari, Melpomene: Manet
Teque, & ſorores, Res nova & amplior;
Jam nunc Modorum, & mox futura,
Materies, veniens in Ævum.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Deſcribit ô Quis terribiles Ducum
Cultus, & acres Carmine ſpiritus
Pingat! Quis urgentis Phalangas
Exprimat Os, Animumque Turni!
Cum ſuſpicaces plus nimium ſuos,
Vitæque parcos leniter increpans,
Prorupit ardens, & Boandæ
Egit Equo, velut Eurus, Undas.
Hic Primus Hoſtes ſuſtinet obvios,
Nactoſque Conjurantis opem Vadi
Amne obruit, multaque ſtrage
Diluviem minitatur Agris.
Nantem videre eſt [redacted] cuſpidem & Ægida,
Merſos & una cum Dominis Equos,
It tardius, Repitque, ſcutis
Et Galeis oneratus Amnis.
Heroe ripas hactenus invias
Scandente, Teſtes Laudis & Æmulæ
Paſſu prope æquo ſe Fideles
Ad Latus explicuere Turmæ.
Spectandus Unus de Pugilum manu,
Auſiſque Regi Proximus & loco,
Et Martis & Phœbi reportans
Serta comis, duplicemque Palmam:
Ormondi Imago! Quis Potior Togæ
Summos Honores & Chlamydis gerat?
Doctus Britannûm Res labantes,
Conſiliis ſtabilire & Armis.
Magni Parentum Quem Sibi vendicant
Manes, decoro pulvere ſordidum,
In quo renaſcentes & auctos
Aſpiciunt Generis Triumphos.
Pericla Muſis & Tibi mutua,
Ormonde, Regi Præſidium acriter
Deprælianti: Tunc momordit
Cura Tuas geminata Athenas:
Quin Dona ſecum Naſſiades tulit
Certam Quietem Victor, & Otium
Et Te Camænis: Hinc profanus
Et Dolor, & Lachrymæ rebelles.
Io reſultent Pieridum chorus
Tumultuantes Lætitia; brevi

Caſura

Ex Hibernia Reditum.

Caſura Delubris Trophæa
Perpetuis Numeris reponant.
Sic impiis Titanibus à Jove
Phœboque fuſis, Cœlicolæ canunt
Pœana Tuti; *Vindiceſque*
Compoſitis venerantur Armis.

W. Ellis A. M. ex Æde Chriſti Alumnus.

ANglia quid, *Cæſar*, Tibi bis ſervata rependat,
Cum tria ſint meritis regna minora Tuis;
Sudantem *Bovinda* ſua quem lavit in unda,
Cum tumidas auxit ſanguinis imber aquas.
Cui junctis impar concurrit *Hibernia Gallis*,
Et *Britonum* profuga concidit aucta manu;
Quem non Unda, triplex undis non obruit hoſtis,
Cui Domino Tellus paret, & Unda ſuo;
Par tantæ ſiquid Tibi deſtinet *Anglia* famæ,
Addiderit palmis *Gallica* ſerta *Tuis*.

G. Pope Ædc Chriſti Alumnus.

VOs, ô? qui *Gallos* timuiſtis nuper ovantes,
Per teneras paſſi vincula dura manus;
Gaudete, & tandem finem ſperate malorum;
Qui feſſis manicas ſolverit, *Ultor* adeſt.
Ultor adeſt, qui mox *Francos* populabitur agros,
Et ſecum *Angliacos* coget in arma Duces.
Non rudis ad pugnas, non Tyro aſſurgit in hoſtes;
Hunc pridem ſenſit *Gallia*, ſenſit *Iber*.
Hunc juvenem *Rhodanus velox*, hunc *Moſa* furentem,
Tingentemque ſuas ſanguine vidit aquas.
Atque iterum aſpiciet: pergas, *Gulielme*, per hoſtes,
Atque addas palmis plura trophæa Tuis.
Dumque foris pugnas, *Gallorumque* agmina ſternis,
Pro nobis vigilet pulchra *Maria* domi.
Ipſa ſatis virtutem, animoſque oſtendit avitos,
Cum ſtetit in noſtris Gallica claſſis aquis.
Quid *Boadicca* æquum? quid majus fecit *Eliſa*,
Agmina cum noſtro merſit *Ibera* freto?
Scilicet aggrederis, *vafer Lodoice*, Britannos,
Cum noſtrum ſolio credis abeſſe *Jovem*.
Sed docuere Tuas *Junonia* tela carinas
Par Tibi vibrari fulmen utraque manu.

G. Meggot ex Ædc Chriſti.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

ARdua jam inviſi ſubſedit criſta *Tyranni*,
Et *Lodoix Franco* rarior orbe tonat;
Plus ſolito pavor inſinuat per conſcia corda
Quique diu *Europam* terruit, ipſe timet.
Exanimis memorat capti diſpendia *Boini*
Et metuit *Rhodano* jam graviora ſuo.
Præſcius hinc age præliba, *Wilhelme*, triumphos,
Non dubia imperii eſt *Boinus* origo Tui.
Sic fatum Eoi ſolvit cum Granicus orbis,
Et Graium agnovit decolor unda jugum.
Perſicus Euphrates ſubmiſit cornua præceps,
Et fluxit famulis in mare Tigris aquis.

Tho. Stephens Arm. Fil. Ex Æde Chriſti Sup. Ord. Comm.

HAnnibal ut patrias olim juratus ad aras
Ardet in Auſonias impiger ire domos.
Oppoſuit natura Alpes, atque invia ſaxa
Sed durum virtus ardua mollit iter.
En Tibi ſtipatus junctis mons obſtitit armis,
Oppoſuitque undas alta Boanda ſuas.
Addita prærupti fruſtra munimina montis,
Fruſtra interpoſitas objicit unda moras.
Nobiliora facis nobis compendia Victor,
Subjicis imperio Saxa, Viroſque Tuo.

Tho. Pocock Ædis Ch. Alum.

ARma virumque cano, Batavis qui gratus ab oris
Anglis maturam ſuppeditavit opem.
Ad ſua flagra metu fractos deduxit Hibernos,
Et Gallos rapida juſſit abire fuga.
Propoſitique tenax, ſequitur veſtigia; fati
Nondum venturi conſcius ille ſui.
Ne nimis auderet, monuerunt vulnera mortem,
Vulnera non poterant nulla probare Deos.
Mors tamen ingreſſum neſcit, facilique medela
Immortale tenet Numen uterque ſuum.
Gaudendum eſt æquo tibi, Dive Britannice, fato:
Heu numeret longos vita reverſa dies!
Vive velut rapto; quin parcius utere telis,
Ex veſtra pendet quanta ſalute ſalus!
Si qua Religio, Leges & Prædia Dextra
Defendenda manent, Novimus eſſe Tua.

Johan. Rous Ex Aula, S. Edmundi Com.

Ex Hibernia Reditum.

AUdivere preces noſtræ pia numina gentis,
Anxia nec ſurdo tulimus ſuſpiria Cœlo.
Jam ſoſpes Gulielme redis; patriæque timores
Componis Victor, quos tu pugnando dediſti
Bellator, nimis uſque audax, inque omnia præceps
Damna, ex adverſis quæ ſe denſiſſima caſtris
Nitratis miſere globis, & ſulphuris imbre.
Jam flagrant faſces, feſtiviſque undique flammis
Anglia fervet ovans; nunc cunctos gaudia vicos
Bombardis lacerant, & multo Nectare tingunt
Undique purpureo ſaturatos flumine fontes.
Lætitiæ prima cauſas ab origine pandam.
Argumentum ingens! at ſi te pectore toto
Excipiam, Naſſave, tuaſque in carmina vires,
Non vos o Muſæ, nec te Bellona vocabo,
Ipſe abeat Mavors, abeat Neglectus Apollo.
In lachrymas effuſa graves, & feſſa querelis
Immanes longo ploravit Jernia luctu
Papicolas, gemuitque ſuos miſeranda labores.
Tandem laſſa malis, poſtquam ſpes nulla reluxit,
Sic doluit, moribunda manus ad ſydera tendens.
Ergone perpetuo curarum agitabimur æſtu?
Nec ſatis eſt quod tot duri ludibria fati
Suſtinui? quem das finem Fortuna laborum?
Quid vero infelix gemitus, largaſque profundo
Incaſſum lachrymas? heu! nullis illa movetur
Fletibus, aut gemitus ullos tractabilis audit.
Sic ait occluſoſque oculos mœrore tenebat
Languida, in æternas mox collapſura tenebras.
Fata benigna vetant.-------
Nam medios inter gemitus demiſſa per auras
Talia verba ſonant. O Diis gratiſſima tellus
Solve metus, victiſque malis generoſa reſurgas.
Jam veniet ſperata dies, quando alite fauſto
Naſſavus triſteſque minas, bellique furores
Diſcutiet, tum pace tuæ, qua primitus, urbes
Floreſcent, ducentque ſuos concorditer annos.
Audiit & quis tam ſævus crudelia ridet
Fata, quis eludit noſtros, ait illa, labores?
An miſeri vana falluntur imagine ſenſus
Turbata jam mente? & quæ mihi ſomnia fingunt
Vera reor, quia vera velim? ſed fata ſiniſtra

Et ſors dura vetant dubiam ſperare ſalutem.
His dictis ægre nutantia lumina tollens
Proſpexit mare velivolum, littuſque relictum,
Et jam certa videt ſocias adnare carinas,
Et magnum afflictis Naſſavum inſiſtere terris.
Naſſavus Danuſque duces felicibus adſunt
Auſpiciis, ferroque alacres direpta repoſcunt,
Viribus externis cincti, quas Flandrica tellus,
Quas Batavi Proceres, & Soderaneus Heros
Miſerunt, commune malum reſtinguere prompti.
Jamque omnes greſſum Schombergi ad caſtra ferebant
Unanimes, fidique omnes, atque agmina jungunt,
Undoſi juxta ſpumantia flumina Boynæ.
Multus caſtra hoſtis ripa ulteriore tenebat.
Et quoties ſummis illucet Phoſphorus oris,
Bellica mortifero ſonuerunt cornua cantu.
Nunc glandes utrinque volant, Nitrique vapores,
Plumbeaque obductum confundunt nubila cœlum.
Multaque miſſa neci volvuntur corpora paſſim
Quadrupedumque virumque, oriturque miſerrima cædes
Maxima creſcenti tribuens præludia pugnæ.
Naſſavus vero impatiens, quid prælia ceſſant?
(Inquit) quid ſegnes terimus lento otia Marte?
Quin potius rapidum audaces tranſmittimus amnem?
Audaces genitor per ſæva pericula Mavors
Tutatur, mediiſque è millibus eripit armis.
Dixerat, aſt illis trepidat formidine pectus,
Attonitiſque hæſere animis, tumidoſque timebant
Fluctus, innumeroſque hoſtes qui littora claudunt.
Ille inſtat, ſtimuloſque acres ſub pectore vertit,
Immiſcetque minis propriæ virtutis honorem.
Ipſe ſacris primus tentat veſtigia plantis,
Tum vero peditumque ruunt, equitumq; catervæ
Certatim, quaque ipſe trahis, Naſſave, ſequuntur.
Cumque per adverſos ignes, mirabile dictu!
Trajicitur flumen, pugnæ ſubit omnibus ardor
Impavidus, jam quiſque ultro ſibi provocat hoſtem.
Undique concurrunt, & longe fulmina torquent,
Mox jungunt propius pugnam, Martemque fatigant.
Heu! quantas ſubito tenebras, quantoſque fragores
Horruerat perculſa acies, dum dira libido
Plebis, & immanes furibundi militis iræ

Diſplo-

Ex Hibernia Reditum.

Diſplodunt ipſum motura tonitrua cœlum.
Undique jam effuſo ſpectantur ſanguine rivi,
Cæſorumque ſtrepunt fremitus, in morte minaces.
Parte alia ſocios incendia poſcit ovantes
Danorum Princeps, facibuſque accingitur atris.
Ocius igne Jovis, lapſoque citatius aſtro
Curſum per trepidas rapuerunt fulmina turmas.
Interea vaſtis concluſus in orbibus ardet
Permiſtus pice Vulcanus, fugit ille per auras
Horrendum ſtridens, & flammas ore triſulco
Evomit, hic latuiſſe putes Phlegethonta profundum
Viſceribus, tam tetros flammarum eructat odores.
Plurima pars rutilo ſublimis turbine rapta
Decidit exanimis, vitamque reliquit in aſtris.
Telaque trunca volant, divulſaque brachia paſſim,
Boynaque diſruptos pronis rapit amnibus artus.
Sub pedibus tellus ingens concuſſa tremiſcit,
Hoſtibus obſtupuere animi, turbatur & amnis
Rauca ſonans, multaque ſacrum caput abdidit alga.
Hic vero Schomberge ſenex, non digna fileri
Tranſmittam tua facta libens, ſupremaque ſolvam.
Quem turbantem acies, vexantemq; agmina fruſtra
Non gladius, (neq; enim gladio vitam ille dediſſet)
Sed graviter reſonans ſubito glans occupat ingens,
Imaque pervolitans penitus præcordia tranſit;
Miſta cruore fluit vita, & concedit in auras,
Nigraque mors fulva moribundum extendit arena.
Te vero flerem, multum miſerande, jacentem,
Si fas, & pietas ſineret lugere beatos;
Te non irato circumſtant agmine turmæ,
Sed placidis ſecura Quies circumvolat alis.
Felix morte tua, ſi quid mea carmina poſſint.
Jam Mars Armipotens hortatibus excitat iras,
Incenditque animos Batavis, turmiſque Britannis.
Diffugiunt hoſtes, quæruntque in vimine denſo,
Et ſylvis latebras, ------
Victorem quacunque libet contendere, ſeſe
Submittunt urbes, flenteſque altaribus hærent,
Depoſitis armis pacem, veniamque rogantes.
At (quæ mira illi, parque eſt clementia cœlo)
Illis Naſſavus facilis condonat, & ultro
Indulget veniam, pacemque volentibus offert.

Se

Sed Galli fiſa auxiliis, non exuit arma
Improba Laberus, ſed vallo extrema tuetur.
Jamque oratores miſſi mandata ferebant
Naſſavi, Procereſque rogant, an tradere vellent
Seque ſuamque urbem, ſtudiiſque incumbere pacis.
Talibus iratus verbis hos excipit atrox
Contemptor ſuperum Sarsfieldus. ------
Speraſtis vos tam facili fore ſorte beatos?
Et capere excelſos tali conamine muros?
Nimirum placida pompa feſtiva trahentes
Agmina, vos tantam petitis ſubvertere gentem.
Non vero niſi per congeſta cadavera noſmet
Vincetis, quamvis bellorum numine freti:
Nam ſi me vivo vobis exſcindere ferro
Permittam, muriſque mea ſine cæde potiri,
Protinus occultam magnæ genetricis in alvum
Divertar, totaque caput tellure prematur.
Sic vero effatus ſubito dimiſit, at illi
Reſponſum celeres Anglorum in caſtra ferebant.
Talia jactantem dictis, & dira canentem
Nequaquam potuere pati Naſſavus, & acer
Danorum Princeps, acieſque in prælia cogunt.
Jamque propinquabant urbi, muroſque ſubibant,
Nunc hos nunc illos aditus, omnemque pererrant
Arte locum, & variis circum conatibus inſtant.
Hic ſcalis tentant muros aſcendere, & illic;
Effundunt denſas tormenta ſonantia glandes.
Hinc circum foſſas adſunt, & vulnere multo
Et rauco ſonitu telorum, atque ignibus urgent.
Et jam Laberi cecidiſſent mœnia celſæ,
Preſſiſſentque gravi terras delapſa ruina,
Ni Nox adveniens pugnam decerneret acrem.
Tempus erat, quo cuncta ſilent, ſylvæque, feræque,
Æquoraque ipſa altum compoſita pace quierant.
Naſſavus curam obnixus ſub corde premebat;
Illius ante oculos Schombergi viſa repente eſt
Umbra levis, pallore genas ſuffuſa ſeniles,
Vulnera multa gerens, atque illi talibus infit;
Dum vixi, Naſſave, & dum tua caſtra ſecutus,
Fidus eram, jamque emeritus, jam morte revulſus,
Qua licet auxiliis adero, & tua fata recludam.
Nunc autem revocato viros, & mœnia linquas

Ardua

Ex Hibernia Reditum.

Ardua Laberi (ſic Dii voluere) ſuperbæ.
Mox aderit tempus, quo ſe ſubmittere vobis
Sponte petent, Anglas jam tu rediturus ad oras
Obvertas proram, te multa cæde madentem
Expectant Proceres; nec dat mihi dicere plura
Fatorum conſtans & inexorabile numen,
Hæc ſimul ac fatus ſubito ſe ſurripit, Ille
Deducit naves, portuſque relinquit Jernos.
Neptunus lætus crines attollit ab imo
Cæruleos, multoque caput venerabile muſco;
Placaturus aquas, ſi rupto carcere frendens
Irrueret Notus, aut Juſſu Junonis iniquæ
Æolus inſano laxaret vincula Coro,
Disjiciatque rates, evertatque æquora ventis.
Incolumis tandem Noſtris allabitur oris
Naſſavus, domitæ ſpoliis ornatus Jernæ.
Turba frequens Procerum multo circumdata vulgo
Confluit ad littus, Regem ſtudioſa videndi,
Cui tot victrices decorant miracula laurus.
Salve Magne Heros, exoptatiſſime nobis,
Exoreris felix, manifeſto lumine fulgens,
Diſcutis horrendas tenebras, radiiſque fugacem
Pergis adhuc victor, penitus diſpellere Noctem.
Hæc fortuna, precor, ſemper tua caſtra ſequatur,
Et cum Verna quies rapidos ſedaverit æſtus,
Et dederint Zephyri pacatum navibus æquor,
Gallia ſæva cadat ſimili convulſa ruina.

Edvardus Taylor, è Coll. Magd.

QUo tandem plauſu, quo Te, *Gulielme*, *Britanni*
Angliacas iterum cantu excipiemus in oras
Et Gentis victæ ſpoliis, & laudibus auctum?
Fœta diu fatale malum nutrivit *Jerne*,
Creſcentemque Hydram fœcundæ auxere paludes:
Uſque illi invalido capita ingeminata ſub hoſte
Surgebant, donec *Te* horrentem cerneret armis
Herculea caſura manu, validiſque lacertis.
Accipe nunc pretium pugnæ, *Tibi* cedit *Jerne*,
Docta pati juſtum imperium, Dominumque fateri:
Felicem, ſi non poſuiſſet ſera feroces
Illa animos, aut ſi pridem compreſſerat iras
Opportuna ſuas, quam tum ſine cæde beata
Cum ſociis eadem coluiſſet jura *Britannis*!

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Sed luit indomitos animos, & tædia belli
Effera Gens, *Gulielme*, Tuis compreſſa catenis.
Sparge dehinc Aquilas, & quos non vincere poſſit
Mitius imperium, dextra contunde Rebelles.
At, *Regina*, graves quæ dudum experta labores
Imperii, ſceptrumque Tuis haud viribus impar
Geſtabas, placide lætos moderata *Britannos*:
Quod Tibi conceſſit, rurſum concede *Marito*
Regnum, conſortemque ſinu complectere toto.
Sic formoſa Venus reducem poſt prælia Martem
Amplexu reficit, taboque & ſanguine multo
Horrentem, laſſoque omnes impertit amores.
Sic poſt Titanas domitos ubi Jupiter arces
Æthereas repetit, ponit regalia Juno,
Dimidiumque ſuo concedit Diva marito
Imperium, junctoque regit moderamine Cœlum.

Philippus Dwight Ædis Chriſti Alumn.

Ad Regem.

INnumeras inter pugnas, totidemque triumphos,
Accedant ſpoliis jam tria Regna tuis
Sterne Ludovicum totumque lucraberis Orbem,
Sic Tua, perpetuus, vita, triumphus erit.

Tho. Gregory è Coll. Linc. Art. Bacc.

INcipe, Muſa, novos canere & celebrare triumphos;
Incipe jam invicti dicere geſta Ducis:
Non ſic horrendi Belgæ; nec Marte tremendi
Germani aut Mauri conſeruere manus;
Naſſoviam Creat & ſequitur Victoria Stirpem,
Nec vult Auriacam linquere inulta domum.
Si quando in Gallos moveat vexilla, vel Arces
Sævior Hiſpanas territet, igne tonans;
Se Dominum præſtat Leo Belgicus, ipſaque ſola eſt
Anglia, quæ iratis ſtat fruiturque Diis.
Extera cum propriis miſcet licet Arma rebellis
Juverna, & pacem reſpuit ipſa ſuam;
Haud tulit Angliacas pene inſpectare catervas
Quas contra incenſi Principis ira tulit:
Solum Wilhelmi nomen conterruit hoſtes,
Dementat quos vult perdere nempe Deus.
Anglia Te reducem ſpectat, ſpoliiſque refertum
Gratatur, meritis obſtupefacta tuis.

Ed. Allen è Coll. Mert. Bacc. Art.

Ex Hibernia Reditum.

CUm Domini impatiens excuſſit Jerna catenas
Tota ruens in Martem inteſtinoſque labores,
Integri quicunque graves videre tumultus
(Conſtit heu tanti virtus) in vincula miſſi
Exóſam luctuque trahunt & carcere vitam.
Late agri dumis horreſcunt, aſpera rura
Luxuriant ſegete ſpinarum, Autumnus Jernæ
Nullus adeſt, cultorque deeſt quærentibus arvis.
Paſſim turba dolis inſtat peregrina ſecundis,
Nativamque premit laſciva potentia plebem;
In lachrymas Gens omnis abit, manifeſtat ubique
Communes luctus, vultuque laborat in uno.
Præceps in tardas ſic crevit Hibernia pœnas,
Et ſic venturæ maturuit illa ruinæ,
Facta eſſet tanto nequaquam vindice digna,
Si minor horrendas Gulielmi ſenſerat iras.
Anglia in ignavam dudum reſoluta quietem
Imperiis rediviva Tuis, Naſſove, veternum
Excutit, & longum ſopitos ſuſcitat ignes.
Te duce quas fecit ſtrages! quæ prælia movit!
Dum fervet cædes, & campo ſanguis inundat,
Aſſiduæ ſudant peragendo penſa ſorores,
Et ſtipata gemit ſub pondere cymba Charontis.
Terga premens Cæſar fugientia corripit hoſtes
Vindex, atque trahit partem ſua quamque ruina,
Plumbea tempeſtas hanc obruit, eminus illa
Glande cadit, fruſtraque evitat miſſile ferrum.
Altera dum pœnas differt fugiendo ſequaces,
Infidæ ſeſe credit moritura paludi.
His gradibus longo ſe ſolvit Hibernia luctu,
Imperium expulſi tandem indignata tyranni
Nobiliora petit vincla, optataſque catenas
Induit, atque jugo Gulielmi ornata ſuperbit.
Gens nimium dilecta Deo! nimiumque Britanni
Fælices! hæc ſi exundantia gaudia nullus
Frænaſſet dolor, & Ducis haud ignobile fatum
Lætitiæ nimios non caſtigaverat æſtus.
Ille triumphato toties ſecurus ab hoſte,
Exulibus Dis Ille, Ille aris fidus avitis
Ah! tandem occubuit pietate inſignis & armis.
Hei Tibi quale jaces veneranda mole cadaver!
Qualis honor vultus! & frontis læta ſenectus.

Heu

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Heu pietas! heu priſca fides! & bellica virtus
Quando habitura parem!
Muſa tamen taceas intempeſtiva dolores,
Melpomene taceas, non hoc ſine numine Divum
Eveniſſe puto; ſenis aſpera fata triumphi
Famam auxere Tui, victor Gulielme, nec ulla
Æmula diviſos virtus partitur honores.
I decus I noſtrum, agnoſcat fera Gallia dextram
Victricem, & quæ Te vidit prima arma gerentem
Sentiat expletas maturo in corpore vires.
Sed caveas, dum Te in bellum rapit impetus ardens,
O caveas nimio ne Marte impulſus in hoſtes
Irrueres, latamque darent tria regna ruinam.
Inſano tandem parce indulgere labori,
Parce, Jacobe, ultra Lodoici innitier armis,
Diſcerptos fruſtra nunc luges frontis honores,
Sera ſibi veniunt tandem ſuſpiria, ſero
Nunc quereris, quanquam niſi mens tibi læva fuiſſet
Et niſi credideras fallaci uxorius arti,
Jam lætus poteras placidis dare jura Britannis,
Et rexiſſe gregem, fato meliore, paternum,
Sed nunc Parcæ obſtant, & non revocabilis ordo.

Joh. Addiſon, è Col. Mag.

O Qui ſuffulcis ruituri pondera mundi,
Sed propriæ laudis pondera ferre nequis:
Jam cœlo & terris Invicta luce refulges;
Nec tantum Patriæ ſed pater Orbis eris.
Non potuit, quia major eras, Fortuna nocere,
Nobile & infandum ſit licet auſa nefas.
Cum fluvium hoſtilem, ſimul & deviceris hoſtem
Credibile eſt ipſos obſtupuiſſe Deos.
Si Dii dona darent meritis æqualia tantis,
Dicere fas Cœlum vix ſatis eſſe ſuum.

Edv. Phillips, A. B. ex Æde Chriſti.

Ex Hibernia Reditum.

NEquicquam invitæ didicere ſilentia Muſæ,
Et tacitam Vates voverit eſſe lyram.
Nempe licet multæ victorem dicere, pluris
Artis opus reducem poſſe tacere Deum.
Cernis ut elapſus fato ſpolia ampla reportat!
Curvatus lauro ſudat ut uſque nova,
Quam fuit ah! totuſque necis, totuſque pericli,
Quam fuit ah! nimium prodigus ipſe ſui!
Aſt tandem ereptus Boyna, Senoque, Marique,
De Boyna, Seno, de mari opimus ovat.
Sic ſocii voluere Dei, ſic fulminis Autor,
(Siquis adhuc major) ſic, Gulielme, velis.
Fulmen enim lateri tantum dedit oſcula ſacro,
Ipſum quale ſolet lambere ſæpe Jovem.
Protinus infudit rabiemque iramque cicatrix,
Totque animas, quot jam vicerit, unus habet.
Soſpite te, Cæſar, cui formidare poteſtas?
Majus opus timor eſt, & metuiſſe labor.
Vidimus en pulſos, & ab una Principe, Gallos:
Anglia ſub Dominis quanta duobus erit?
Nam Gemini radios conjuncto ſydere pandunt,
Illa Dea major, major & Ille Deo.
Plaudite Io Britones, dabit Ille vel Illa ſalutem,
Dum cura amborum eſt Jupiter, ambo Jovis.

Gul. Pittis, Nov. Coll. Schol.

O ſumme mundi Rector, & Parens orbis;
Vindex ſalutis publicæ, laborantis
Gentis Camille, & ſpes labantium rerum;
Qui pondus humeris ſuſtines Atlantæum,
Diviſque proprius faris, & Jovem tangis:
Seu caſtra jam prudens futura diſponis,
Equitumque turmas ordinas Cataphractus;
Seu fulminas bello, aut ſerenior mentem
Per priſca Regum facta, per Ducum laurus,
Et fata raptas, gratulantis applauſus
Britanniæ; Vatumque præliis miſce
Pia vota, gratum & Carmen obſtupes centum
Toties fugatis hoſtibus Poetarum,
Quod ut perennet & ferat vetuſtatem,
Vovere non noſtrum eſt, dare eſt tamen veſtrum.

Theop. Eedes, ex Aul. B. V. M. A. B.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

CUm primum cœli cœpit tabeſcere tractus,
Sævior & ferro duri inclemẽtia morbi
Incubuit, lateque egit contagia campis,
Mutatus vigor Anglorum, mileſque trahebat
Languida membra, auraſque graves captavit hiatu:
Obductum Gulielmus alit ſub corde dolorem,
Ultorem promittit, & acres concipit ignes
Vindice ſtat ferro ſcelerato ex agmine pœnas
Sumere & iratos compeſcere ſanguine Manes.
Ecce æquor naves verrunt, & pondere tanto
Exultant, curſumque brevem, ſpatia arctaque damnant,
Nec mora, Rex hoſtes oculiſque animoque requirit
Fervidus, & rapidum, munitumque arte Boandum;
Qui nunc aut glauca refluum caput abdidit alga,
Aut ſeſe ignotæ metuens immiſcuit undæ.
Hic, quem non olim rigidi diſcrimina belli,
Non domuere anni, nec acerbo vulnere peſtis,
Hic cecidit Fredericus. ------
At non longævi caſu tardatus amici
Naſſaides, medios violentior ivit in hoſtes,
Jam vindicta animum, miſtoque inſania luctu
In ſtragem accendit, diriſque immiſcuit armis.
Alea tum belli timidis male cedit Hybernis,
Quos jam correptos violenta morte videres
Una exhalanteſque minas, animamque rebellem;
Hunc grave pondus equi inclinato corpore vexat,
Alterius vultum duro terit ungula ferro,
Undique commiſta ſanie, ſparſoque cerebro.
Juverni dubia turbantur imagine rerum,
Nec jam compoſitis alis, nec milite juncto
Confiſi, ut ſpectant coopertos oſſibus agros;
Wilhelmumque prementem haſta, turmaſque ſequentes;
Tandem orſi vitam pedibus committere, & arma
Non bello, non apta fugæ, ſpolia ampla relinquunt.
O Vos fælices! queis tanta occumbere dextra
Contigit, extremamque animam Naſſovus ademit.
En Senonum exuviæ, en hærent affixa columnis
Spiculaque, clypeique Virum; pendentque trophæa
Tabo tincta recenti, & adhuc ſpirantia cædem.
Ille tuo, Lodoix, avellet vertice laurus.
Cum protenſa olim Gallos tremefecerit haſta,
Fidenteſque fuga, patriæque, Tibique timentes.

W. Hodgſon, Ædis Chriſti Alumnus.

Ex Hibernia Reditum.

Dialogus inter fratres.

T. SIquos, frater, habes aptos ad Carmina libros,
Evolvas fida Scrinia tota manu.
G. Ecce *Gradus*, qui me *Parnaſſi* ad culmina ducent;
Quin Tu *Theſauri* ſedule profer opes.
T. Profero, nulla tamen *Gulielmum* pagina monſtrat,
Apparet toto nulla *Maria* libro.
G. Quære igitur *Martem*, poſthac inquire *Minervam*;
Alter erit *Mavors*, *altera Pallas* erit.
T. Inveni, germane, locum: quin *Ille* cruentus,
Terribilem quaſſat Gorgonis *Illa* jubam.
G. Heu male *Wilhelmo* crudelia nomina junges,
Ipſa ferox mitem ſenſit *Ierna* Ducem.
Nec bene conveniet *Reginæ* Gorgonis horror,
Non ipſas inter pulchrior ulla Deas.
T. Aſpice, quid *Phœbe*, vel quid præſtabit *Apollo*,
Multus in his *Naſo*, *Virgiliuſque* fuit.
G. Hei mihi, nil dignum *Phœbus*, nil *Cynthia* præſtat;
Longe infra laudes Numen utrumque cadit.
T. Ergo ſupervacuos deceptus projice libros,
Non tantos habuit fama vetuſta Deos.
Siquis erit poſthac bello præclarus & armis,
Pluſquam mortali ſiqua decore Venus;
Illis, cum ſeri component carmina Vates,
Nomina *Naſſaides*, atque *Maria* dabunt.

Georgius } *Kaye*, Bar. Fil. ex Æde Chriſti.
Thomas }

ESt locus Eoæ, jam non ignotus, Iernes,
Quem medius rapidis perfluit amnis aquis:
Hic hoſtes, auſi nondum concurrere campis,
Turpiter in caſtris delituere ſuis.
Tu vero, impatiens, Gulielme, ignobilis oti,
Marte diu vacuam non ſinis eſſe moram.
Non Te vis, non ars, non natura ipſa moratur,
Objecit turmis quæ vada cæca tuis.
Certus es ire ardens, tumidoſque repellere Gallos,
Nec terret mentem flamma, nec unda, tuam,
Impiger adverſas properas aſcendere ripas,
Et juvat una hoſtes ſic ſuperare duos.
Jamque, invicte Heros, quamvis Scribatur in undis,
Serior haud famam diluet hora Tuam.

C. *Henchman*, Ædis Chriſti Alumnus.

In Exoptatum Sereniſſimi Regis

Regina ad Regem.

LUx hæc natali multo fælicior hora eſt,
Quæ mihi Te, Conjux, quæ tibi regna dedit.
Læta tibi reddo commiſſa inſignia, noſtrum
Quam mallem imperium Pectoris eſſe tui!
Heu! licet abfueris, noſtris ereptus ocellis,
Hæſerunt animo *Cæſaris* ora meo.
Nunc veteris deſueta legam veſtigia formæ,
Nunc totum agnoſcent lumina fida Deum.
Intempeſtivum reprimit ſed Vulnus amorem,
Quod noſtræ pretium grande ſalutis erat.
Elicit hoc lachrymas, nequeo, Mea Vita, pericli
Quanquam importune non memor eſſe Tui.

Rex ad Reginam.

Cur poſitum renovas luctum? fauſteque peracti
Te male ſollicitam Cura laboris habet?
Parce importunis, O! parce *Maria*, querelis,
Non poterit ſalvo *Marte* dolere *Venus*.
Cum dubii attigeram nuper confinia fati
Pendulus, & ſtygiis vela daturus aquis.
Me penitùs bello intentum, immemoremque ſalutis
Major in adverſos impetus egit equos;
Sed Tua me, *Conjux*, ubi dulcis imago furentem
Admonuit, notus contigit oſſa calor:
Plurima tum vidi, fateor, cur vivere vellem,
Tum ſua libravit cautior arma manus.
Si regis abſentem, & longe tua ſpicula mittis
Quæ virtus formæ jam propioris erit?
Aut quo Te charam amplexu, *Maria*, fovebit,
Per Te qui cœpit charior eſſe ſibi?

Th. Pelling, Ædi Chriſti Alum.

SUſcipe & hæc, *Gulielme*, ſuas habet *India* Lauros:
Quæque velit ſacris texere ſerta comis.
Occiduas Genitor dum fulminat acer ad *oras*,
Et regit auſpiciis aſpera corda *Tuis*,
Da Veniam ſi *Me*, placidam indignata quietem,
Patria vis, & non degener ardor agit;
Incaluit venturæ animus ſub Imagine pugnæ,
Hectoreaſque affert in Tua bella faces.
Interea tamen hos calamus Tibi ludat honores,
Cætera mox, Stricto cum micet enſe manus.

Chriſ. Codrington, ex Æde Chriſti Sup. Ord Comm.

Ex Hibernia Reditum.

QUalis in antiquas ſedes patrioſque Penates
Edvardus rediit domitis jam victor ab oris;
Gallorum ſpolia indutus, quem vulgus euntem
Proſequitur plauſu; talem *fortiſſime Princeps*
Talem Oculis, Animoque parem Te, Fata reponunt,
Nec minus horrendum *Gallis*, ſeu mænibus hoſtem
Incluſum oppugnas, ſeu Marte laceſſis aperto.
Cur Phœbus Muſæque ſilent? cur nulla *Theatri*
Copia? nec referunt ſpectacula læta triumphos
Et palmas *Gulielmi*, acreſque ex ordine pugnas?
Eia agite, æterni monumenta perennia facti
Erigite, & memori, cives, ſuſpendite cera
Deſcriptas acies, & tela minantia telis.
Primum igitur, *Pictor*, ſuprema in parte tabellæ
Caſtra inimica color ſimulet, juxtaque juventus
Gallica, degenereſque fremant, fœdum agmen, *Hyberni*.
Flecte dehinc calamos alio, & tentoria magni
Exſurgant *Gulielmi*, atque hinc Heroas & inde
Magnanimos deſcribe; Sed ô quæ dextra labores
Regis, & ardentes *Boandæ* ad flumina pugnas
Audebit tentare? quis atro in ſanguine *Gallos*,
Singultuſque virum morientum, igneſque ſonantes
Per medias undas, & mortis mille figuras
Oſtendet? tenta tamen, & totum indue Zeuxin.
Ipſe acies ducat *Princeps*, & qualis in armis
Intonuit quondam, & proſtravit cuſpide *Gallos*
Per *Moſæ* ripas, talis nunc tendat in hoſtes,
Et præeat, dubiaſque inſtiget ad arma cohortes.
Et quacunque movet greſſus, comitetur euntem
Terror, & amiſſis juxta Victoria pennis.
Hunc circum depinge duces, & primus in hoſtes
Irruat *Ormondus*, *Gallorumque* agmina ferro
Proterat, & redeat ſpoliis oneratus opimis.
Ille olim *Angliaco* perjuros milite *Gallos*
Terruit: *Ormondi* quoties inamabile nomen
Attingit *Lodoici* aures, tremor horridus ortus
Occupat, *Offoriique* ſubit *genitoris* imago
Gallorum turmas ſternentis, & omnia vaſto
Impete diripientis. O Heros inclyte ſalve,
Salve atavis & avis magnoque ſimillime *Patri*.
Ecce tibi, *Vir magne*, tuæ gratantur *Athenæ*
Incolumi reducique; tibi *Rhedycina* corollas

Nectit, *Pieriaque* ornat tua tempora lauro.
Fœlix ante alias! tanto lœtata *Patrono*
In quantum ſeſe *Rhedycinæ* gloria tollet!
Perge Heros; ſeu Pax niveis circumvolat alis,
Seu te bella juvant, ſtimulent exempla *Parentis*
Et magni *Gulielmi.*
Parce, tuos ſi jam neglexi, *Zeuxi*, colores,
Immemoremque *Erato* vaſtum me miſit in æquor.
Sume iterum calamos, aliaque in parte tabellæ
Schombergus ruat, & violentus fundat inertes
Gallorum turmas; ſed mox tamen ipſe cruentas
Proruat ad terras ingenti vulnere victus.
Heu miſerande ſenex! hic *Pictor*, pone tabellas.
Pone tuos paulum calamos, crudelia cœſi
Fata ducis ploremus: humi jacet inclytus *Heros*
Pallidus, exanimis; non talem *Guardia* vidit
Scandentem muros & vaſta ſtrage furentem.
Purpureas hic ſparge Roſas, da lilia magnis
Manibus, & ſalteu lachrymas impende favillis.
Et, nunc ſi poſſis calamo ſimulare dolorem,
Ploret tota cohors, & verſis lugeat armis.
Hic fundat lachrymas, illi abditus intima vexet
Oſſa dolor, quin tu *Gulielmi* pingere luctus
Neu ſperes impar, ſed velum obtende dolenti.
Hæc ubi reddideris, argutior omnia terge
Subtili digito, finemque impone labori.
Hic (velut *Æneas* Afra ſecurus in aula
Et comites & ſe pugnantem in parjete vidit)
Hic *Princeps* acies, forteſque *Heroas* in armis
Aſpiciat mixtos, & ſe miretur in illis.
Quid tamen ô! dulces prodeſt tetigiſſe Penates
Si rurſus nova bella petat, nova regna per undas
Quærat, & adverſis iterum ruat obvius armis?
Quin bello abſtineas, *Cæſar*; nec rurſus iniquis
Tantam crede animam ventis. En ipſa *Maria*
Orat, & extendit tibi tota *Britannia* palmas.
Parce tuis, *Gulielme*; ſat ô ſat fama per orbem
Jampridem emicuit, ſat novit *Gallia*, quantus
In clypeum aſſurgas, quo mittas impete ferrum.
Teſtis *Luxemburgus*, & atro occultus in antro
Condeius, fuſuſque tuis *Turennius* armis.
Te vecors tamen urget, & inſtaurare cohortes

Audet

Ex Hibernia Reditum.

Audet adhuc *Lodoix*, iterumque laceſſere bello.
Tene gravi inſanus credit torpere veterno,
Et flammis paſſurum agros impune cremari?
Tene putat pejorem *Atavo*, qui contudit *Alvam*,
Dimovitque jugum *Batavis* crudele *Philippi*?
Fallitur, ingentem nam Tu *fortiſſime Princeps*,
Major *Avum* præſtas, majorque *Heroas Avitos*.
Te quantum nuper perterrita ſenſit *Ierne*,
Cum *Francas* multa turbaſti cœde *Phalanges*?
Num talis *Fredericus* erat? num tantus in armis
Mauritius Batavo Spinolam milite fudit?
Heu, *Lodoice*, tuos jam corpora ſparſa per agros,
Et *Ligerim* multo ſpumantem ſanguine cerno.
Nempe iterum *Anglorum Regem Pariſina* videbunt
Mœnia, flagranteſque faces, & tela minantem.
Creſſiacique iterum pingueſcent ſanguine campi.

Guil. Percival Ædis Chriſti Alumnus.

FINIS.